LECTIO ECCLESIAE

JEAN HEUZET

SELECTAE E VETERI TESTAMENTO

HISTORIAE, PARS PRIMA

ad ūsum discipulōrum ēdita

vocābulis Latīnē explicātīs, vōcālibus longīs notātīs, imāginibus

LECTIO ECCLESIAE PRESS

The text follows Jean Heuzet, *Selectae e Veteri Testamento historiae, pars prima*: Selectae e Veteri Testamento historiae ad usum eorum qui Latinae linguae rudimentis imbuuntur; accedit Synopsis vitae Jesu Christi, B. V. Mariae, ac SS. Apostolorum. Editio octava Romana. Rome: Petrus Aurelius, 1828. Part one.

A work first published in 1726, in the public domain. Misprints of the old edition are corrected.

Vowel lengths are marked throughout. The spelling uses *v* for the consonant, *i* for vowel and consonant alike, and *ae* and *oe* as two letters. The notes in the margin are in Latin.

Pictures. Plates 1, 19, 21, 25, 28, 29, 32, 33, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 45, 49, 50, 54, 69, 75, 76, 86, 87, 88, 146, 147 of Julius Schnorr von Carolsfeld, *Die Bibel in Bildern* (Leipzig: Georg Wigand, 1852–1860), from reproductions in the public domain.

Set in Junicode and Gentium Plus (SIL Open Font License). All rights in this edition reserved.

Published by Lectio Ecclesiae Press · lectioecclesiae.com

Corrections are gratefully received at editor@lectioecclesiae.com.

ISBN 979-8-9821047-0-0 (paperback) · ISBN 979-8-9821047-1-7 (hardcover)



I

CREATUR MUNDUS: HOMO, ET MULIER FORMANTUR

¶ Deus omnipotēns creāvit sex diēbus caelum, et terram, et omnia quae in eīs sunt. Cessāvit ab opere et requiēvit diē septimō, benedīxitque eī, et sanctificāvit illum. Fōrmāvit autem Dominus Deus hominem ex līmō terrae, dedit illī animam vīventem, et ad imāginem et similitūdinem suam fēcit eum; vocāvitque illum Adāmum. Dīxit deinde Dominus Deus: Nōn est bonum esse hominem sōlum: faciāmus eī adiūtōrium simile sibi. Immīsit ergō sopōrem in Adāmum: cumque obdormisset, tulit ūnam ē costīs eius, ex quā fōrmāvit mulierem, addūxitque eam ad Adāmum, quī, illā vīsā, dīxit: Ecce nunc os ex ossibus meīs, et carō ē carne meā.

fōrmō cf. fōrma

līmus cum pluit, ex aquā et terrā līmus fit

adiūtōrium = auxilium
immittō < in + mittere
obdormiō < ob + dormīre

Quamobrem relinquet homō patrem suum, et mātrem, et adhaerēbit uxōrī suae, et erunt duo in carne ūnā. Itaque Dominus Deus, masculō, et faeminā fōrmātīs, benedīxit illīs, dīcēns: Crēscite et multiplicāminī, et replēte terram, et subiicite eam: domināminī piscibus maris, et volātilibus caelī, et ūniversīs bestiīs quae moventur super terram.

quamobrem "Quamobrem Dominum vērum et Rēgem adōrāmus." (Acta martyrum 9)

Omnēs herbae, et arborēs prōdūcentēs fructum, et habentēs in sēmetipsīs sēmentem secundum speciem suam, erunt in escam vōbīs, et cunctīs animantibus terrae, omnīque volucrī coelī.

prōdūcō < prō + dūcere

sēmentis "Sī ceciderit super sēmentem, nōn polluet eam." (Leviticus 11, 36–43)

animāns "Plūs enim mentis est in illīs animantibus." (Vives, Exercitatio 18)

2

PRIMORUM PARENTUM PECCATUM ET POENA

¶ Posuit Dominus Deus hominem in hortō amoenissimō, quī Paradīsus terrestris vocārī solet, ut coleret illum, et custōdīret. Erant ibi omnēs arborēs pulchrae oculīs, et gustuī suāvēs et in mediō eārum arbor scientiae bonī et malī Dīxitque Deus hominī. Ex omnium Paradīsī arborum fructibus comede, praeterquam ex fructū arboris scientiae bonī et malī: nam statim atque comēderis ex eō, moriēris. Sed Serpēns, quī erat callidior cunctīs animantibus quae fēcerat Dominus Deus, dīxit mulierī. Cūr praecēpit vōbīs Deus, ut nōn comederētis ex omnī arbore Paradīsī? Cui respondit mulier.

praeterquam "Quī immolat diīs, occīdētur, praeterquam Dominō sōlī." (Exodus 22, 16–20)

serpēns "Tālī modō serpentēs ā puerō interfectae sunt." (Fabulae faciles 13)

callidus ↔ stultus

Dē Fructū arborum quae sunt in Paradīsō vescimur: Deus autem vetuit, nē fructum comederēmus illīus arboris quae est in mediō Paradīsī, et nē tangerēmus, nē forte moriāmur. Nēquāquam, inquit Serpēns, moriēminī: scit vērō Deus, statim atque comederētis ex fructū illīus arboris, fore ut aperiantur oculī vestrī, et fore ut sītis sīcut Diī, scientēs bonum et malum. Vidēns igitur mulier fructum illīus arboris bonum esse ad vescendum, aspectūque dēlectābilem dēcerpsit et comēdit; obtulit etiam virō suō, quī pariter comēdit. Et statim apertī sunt oculī ambōrum. Fuerat adhūc uterque nūdus, et nōn ērubēscēbant.

vetō "Vercingetorīx tamen Gallōs hoc facere vetuit." (Primus Annus 49)

dēlectābilis < dēlectāre

Cum vērō cōgnōvissent sē esse nūdōs, cōnsuērunt folia ficūs, quibus quaedam velutī cingulī sibi fēcērunt: absconditque sē Adāmus et uxor eius ā faciē Dominī. Vocāvit autem Dominus Deus Adāmum, et dīxit eī: Ubi es? Et respondit Adāmus: Cōnspectum tuum timuī eō quod nūdus essem, et abscondī mē. Quid, inquit Dominus, indicāvit tibi nūdum esse tē, nisi quia fructum, quem praecēperam tibi nē comederēs, comēdistī? Dīxitque Adāmus: Mulier: quam

ērubēscō "Nōn enim ērubēscō Ēvangelium." (Ad Romanos 1, 16–23)

ficus "Ā ficū autem discite parabolam." (Marcus 13, 28–31)

dedistī sociam, fructum illum mihi porrēxit, ut ederem. Et dīxit Dominus mulierī: Quārē hoc fēcistī? quae respondit: Serpēns dēcēpit mē.

Et dīxit Dominus Serpentī; Quia fēcistī hoc; maledictus es inter omnia animantia et bestiās terrae: super pectus tuum gradiēris, et terram comedēs omnibus diēbus vītae tuae. Inimīcitiās pōnam inter tē, et mulierem, et inter sēmen tuum, et sēmen illīus, ipsa conteret caput tuum: et tū īnsidiāberis calcāneō eius, Mulierī quoque dīxit: Multiplicābō aerumnās tuās: in dolōre pariēs fīliōs et sub virī potestāte eris: et ipse dominābitur tuī.

animō cf. anima

inimīcitia < inimīcus

īnsidiō cf. īnsidiae

Dīxit autem Adāmō: Quia audīstī vōcem uxōris tuae et fructum comēdistī illīus arboris, quae tibi interdicta fuerit, maledicta erit terra propter peccātum tuum: multō cum labōre comedēs eius fructūs, spīnās et tribulōs germinābit tibi, et in sūdōre vultūs tuī vescēris pāne, dōnec revertāris in terram ē quā sūmptus es: quia pulvis es; et in pulverem revertēris. Eiēcit deinde Dominus Deus Adāmum ā Paradīsō ut coleret terram: collocāvit ante Paradīsum Angelum quī gladium flammeum praeferēbat et versābat. Vocāvit autem Adāmus nōmen uxōris suae, Hēva.

praeferō < prae + ferre
versō cf. versus

3
CAINUS OCCIDIT FRATREM ABELEM

¶ Habuit Adāmus ex Hēvā coniuge suā līberōs multōs, inter quōs numerantur Caīnus et Abēl. Fuitque Abēl pāstor ovium, et Caīnus agricola. Factum est autem, ut cum obtulisset Caīnus ē fructibus terrae mūnera Dominō, Abēl quoque offerret prīmōgenitōrum gregis suī pinguissimōs, respexit Dominus Abēlem et mūnera eius: at Caīnum vērō et mūnera illīus nōn respexit. Īrātusque est Caīnus vehementer, et concidit vultus eius. Dīxitque eī Dominus; Quārē īrātus es, et cūr concidit faciēs tua? nōnnisi bene ēgeris, mercēdem recipiēs, sīn autem male statim peccātī poenam? Caīnus Deī monentis vōcem nōn audiēns, dīxit frātrī suō: Ēgrediāmur forās. Cumque essent in agrō, īnsurrēxit adversus Abēlem, et interfēcit eum.

agricola “Itaque agricola Rōmam eum dūcit.” (Primus Annus 20)

concidō < con- + cadere

īnsurgō < in + surgere

Et dīxit Dominus Caīnō; Ubi est frāter tuus? quī respondit Nesciō: num custōs frātris meī sum ego? Dīxitque Deus: Quid fēcistī? vōx sanguinis frātris tuī clāmat ad mē dē terrā. Nunc igitur maledictus eris super terram, quae suscēpit ac bibit sanguinem frātris tuī, quem ipse manū fūdistī. Cum eam longō, et dūrō labōre colueris, nōn dabit tibi fructūs suōs: profugus eris et vagus super illam. Tum Dīxit Caīnus Dominō. Maior est inīquitās mea, quam tuam veniam merear. Ecce eiicis mē hodiē, et ā faciē tuā abscondar, et erō vagus et profugus in terrā; omnis igitur quī invēnerit mē occīdet mē: Dīxitque eī Dominus. Nēquāquam ita fiet: sed omnis quī occīderit Caīnum, septuplum pūniētur, et gravissimās poenās feret: Posuitque Dominus in Caīnō sīgnum ut nōn interficeret eum omnis quī invēnisset eum.

pūniō "Quī percusserit hominem, pūniētur." (Leviticus 24, 17–23)



4
MALITIA HOMINUM, DILUVIUM, FOEDUS DEI CUM NOACO

¶ Cum coepissent hominēs multiplicārī super terram, multiplicāta quoque sunt peccāta eōrum et scelera. Cum ergō vīdisset Deus māgnam esse hominum malitiam et cunctam cōgitātiōnem cordis eōrum intentam esse ad malum omnī tempore paenituit eum quod hominem fēcisset. Et tactus dolōre cordis intrīnsecus, Dēlēbō, inquit, hominem quem creāvī ā faciē terrae, cum omnī reptilī, volucribus, cēterīsque animantibus, poenitet enim mē fēcisse, ea omnia. Noacus vērō vir iūstus et perfectus invēnit grātiam cōram Dominō, quī dīxit illī: Replēta est terra inīquitāte hominum, et ego disperdam eōs. Compingēs tibi arcam ex lignīs laevigātīs: mānsiunculās in eā faciēs et eam bitūmine liniēs intrīnsecus et extrīnsecus.

tactus < tangere

mānsiō < manēre
liniō = ungō
extrīnsecus = extrā

Trecentīs cubitīs longa erit arca, quīnquāgintā vērō cubitōrum eius erit lātitūdō, et trīgintā cubitōrum eius altitūdō. Tectum habēbit incurvum et in altitūdinem cubitī assurgēns. Tria tabulāta faciēs et fenestram: ōstium pōnēs

assurgō < ad + surgere

in latere. Ecce ego addūcam aquās diluvii super terram: interficiam omnem carnem, in quā spīritus vītae est subter caelum. Ūniversa quae in terrā sunt cōnsūmentur: pōnamque foedus meum tēcum, tē enim vīdī iūstum cōram mē. Et ingrediēris arcam tū, et fiīī tuī, uxor tua, et uxōrēs fiīiōrum tuōrum tēcum. Et ex cunctīs animantibus bīna indūcēs in arcam masculīnī sexūs et fēminīnī, ut possint vīvere: et salvum fiat eōrum sēmen.

Tollēs etiam ex omnibus escīs quae mandī possunt, et comportābis in arcam, eruntque tam tibi, quam animantibus in cibum. Fēcit Noacus omnia quae mandāverat eī Dominus. Eratque tunc annōrum sexcentōrum Itaque ingressus est ipse et uxor eius; fiīī trēs, Sēmus, Chamus, et Iaphetus, et trēs uxōrēs eōrum in arcam. Ingressa quoque sunt animālia bīna ex omnī speciē masculus et fēmina, et clausit ōstium Dominus forinsecum. Tunc maris et fontium omnium aquae in terram ērūpērunt, et cataractae caelī apertae sunt, et cecidit pluvia quadrāgintā diēbus, et quadrāgintā noctibus.

Aquae multiplicātae replēvērunt omnia in superficiē terrae, et ēlevāvērunt arcam in sublīme, opertīque sunt omnēs montēs excelsī sub ūniversō caelō ita ut quīndecim cubitīs altior fuerit aqua montibus quōs operuerat. Igitur cōnsūmpta est et mortua omnis carō tam hominum quam animālium. Remānsit autem sōlus vīvus Noacus, et quī cum eō erant in arcā quae ferēbātur super undās. Cum aquae terram et montēs altissimōs obtinuissent centum et quīnquāgintā diēbus, recordātus Deus Noaci, cunctōrumque animantium quae erant conclūsa cum eō in arcā, addūxit ventum vehementem super terram, et sēnsim imminūtae sunt aquae. Mēnse undecimō, ex quō diluvium caeperat, aperiēns Noacus fenestram arcae, dīmīsit corvum quī reversus nōn est.

Ēmīsit quoque columbam post eum, ut vidēret an adhūc essent aquae super faciem terrae. Quae cum nōn invēnisset ubi requiēsceret pēs eius, reversa est ad Noacum, quī extendit manum et apprehēnsam intulit in arcam. Expectātīs autem

diluvium "Ab hīs divīsae sunt gentēs in terrā post diluvium." (Genesis 10, 21–32)
subter "Castra autem Madian erant subter in valle." (Iudices 7, 4–8)

sexus "Hic sexus genuit Salvātōrem." (Sanctorum vitae 31)
fēminīnus < fēmina

comportō < con- + portāre

pluvia cum aqua ex caelō cadit, pluvia vocātur
superficiēs "Operuērunt que ūniversam superficiem terrae, vastantēs omnia." (Exodus 10, 14–20)
sublīmis = excelsus
quīndecim "Erat autem tunc annōrum quīndecim." (Sanctorum vitae 23)

unda "Ex fenestrīs villae undās spectās." (Ora maritima 1)

conclūdō < con- + claudere

undecimus "Sed nōn ante undecimam hōram in litore stetimus." (Ora maritima 15)

columba "Sīc litterae, quae per columbās mittuntur, nūntiant." (Pro patria 14)

expectō "Salūtāre tuum expectābō, Domine." (Genesis 49, 13–22)

septem diēbus aliīs, rūrsum dīmīsit columbam ex arcā. At illa vēnit ad eum circā vesperam, portāns rāmum olīvae virentibus foliīs in ōre suō. Intellēxit ergō Noacus cessāsse aquās tegere terram; expectāvitque septem aliōs diēs, et ēmīsit columbam, quae nōn est ultrā reversa ad eum. Itaque aperiēns Noacus tēctum arcae, aspexit, vīditque omnīnō exsiccātam esse superficiem terrae.

vespera "Et cum vespera facta esset, ēgrediēbātur dē cīvitāte." (Marcus 11, 15–19)

Nōluit tamen ante ēgredī ex arcā, quam allocūtus eum Deus dīxit: Ēgredere ex arcā tū, et uxor tua cum fīliīs et nuribus tuīs. Cuncta animantia quae sunt apud tē ēdūce tēcum, ingrediminī super terram et implēte eam, crēscite, et multiplicāminī. Ēgressus est ergō Noacus ex arcā, in quā annum tōtum manserat inclūsus, et familia eius, et iūmenta, et volātilia et reptilia, cēteraque animantia. Tum aedificāvit altāre Dominō, super quod obtulit holocausta. Suāve fuit et grātum Deō sacrificium Noaci. Itaque dīxit fīliīs eius. Nēquāquam ultrā maledīcam terrae propter hominēs: sēnsus enim et cōgitātiō hūmānī cordis in malum prōna sunt ab adolēscentiā. Nōn igitur percutiam deinceps omnem animam vīventem sīcut fēcī.

alloquor < ad + loquī

cuncta = omnis

inclūdō < in + claudere

deinceps = deinde

Deinceps sēmina et messis, aestās, et hyems, nox et diēs sibi succēdent. Timeant vōs cuncta animantia terrae, et volucrēs caelī. Omnēs piscēs maris manuī vestrae trādidī. Quidquid movētur et vīvit, erit vōbīs in cibum, et omnia, quasi olera virentia trādō vōbīs. Ecce statuō pactum meum vōbīscum et cum sēmine vestrō post vōs. Arcum meum pōnam in nūbibus; et erit sīgnum foederis quod iam cōnstituī inter mē, et omnem carnem super terram. Cumque abdūxerō nūbibus caelum appārēbit arcus meus, et recordābor foederis meī sempiternī vōbīscum, et nōn erunt ultrā aquae dīluviī ad dēlendam ūniversam carnem. Vīxit autem Noacus post dīluvium trecentōs quīnquāgintā annōs, et cursus eius vītae nongentōrum quīnquāgintā annōrum fuit, et mortuus est.

aestās "Aestāte puerī sī valent satis discunt." (Pons tironum 8)
hiems "Ōrāte vērō ut hieme nōn fiant." (Marcus 13, 18–23)
succēdō "Antiochō successit fīlius, cui nōmen Eupător fuit." (Epitome Historiae Sacrae 202)
volucris = avis

abdūcō < ab + dūcere

nongentī "Fīliī Zethua, nongentī quadrāgintā quīnque." (Esdras 2, 1–13)



5

TURRIS BABEL

¶ Īdem erat omnium hominum sermō post dīluvium eādem linguā ūtēbantur. Dīxitque alterī: Venīte, faciāmus laterēs, et coquāmus eōs ignī Habuēruntque laterēs prō saxīs, et bitūmen prō caementō. Et dīxērunt: Venīte, faciāmus nōbīs cīvitātem, et turrim, cuius culmen pertingat ad caelum: et celebrēmus nōmen nostrum, antequam dīvidāmur in ūniversās terrās. Dēscendit autem Dominus, ut vidēret cīvitātem et turrim quam aedificābant fīliī Adāmī. Et dīxit Ecce ūnus est populus, et ūna lingua omnibus; caepēruntque hoc facere, nec dēsistent ā cōgitātiōnibus suīs dōnec eās opere compleant. Venīte igitur, dēscendāmus et cōnfundāmus ibi linguam eōrum, ut nōn audiat ūnusquisque vōcem proximī suī. Atque ita dīvīsit illōs Dominus ex illō locō in ūniversās terrās, et cessāvērunt aedificāre cīvitātem. Et idcircō vocātum est nōmen eius Babel, quia ibi cōnfūsa est lingua ūniversae terrae, et inde dispersit eōs Dominus in cunctās orbis regiōnēs.

saxum = lapis

pertingō = pertineō

dēsistō = cessō

6
ABRAHAMUS VOCANTE DEO VENIT IN TERRAM CHANAAN

¶ Dīxit Dominus Abrahamo: Ēgredere ē terrā tuā, et cōgnātiōne tuā, et domō patris tuī, et venī in terram quam mōnstrābō tibi. Faciam ut crēscās in gentem māgnam, et benedīcam tibi, et māgnificābō nōmen tuum, erisque Benedictus. Benedīcam benedīcentibus tibi, et maledīcam maledīcentibus tibi, atque in tē benedīcentur ūniversae gentēs terrae. Abrahamus itaque, sīcut praecēperat eī Dominus, ēgressus est ex urbe, quae vocātur Haran in Mesopotamiā, sēcumque dēdūxit Sāram uxōrem suam, et Lothum fīlium frātris suī. Cumque vēnissent in terram Chanaān, appāruit Dominus Abrahamo, et dīxit eī: Sēminī tuō dabō terram hanc. Abrahamus aedificāvit ibi altāre Dominō quī appāruerat eī, et invocāvit nōmen eius. Cum autem praevaluisset famēs in terrā Chanaān dēscendit Abrahamus in Aegyptum cum uxōre suā et Lotho, et omnibus quae habēbat, ut peregrīnārētur ibi.

mōnstrō = ostendō

praevaleō < prae + valēre

peregrīnor cf. peregrīnus

7
LOTHUS DISCEDIT AB ABRAHAMO

¶ Ex Aegyptō reversus est Abrahamus in terram Chanaān dīves valdē aurō et argentō. Sed Lothus, quī erat cum eō, habēbat etiam gregēs ovium, et armenta, et tabernācula: nec poterat eōs capere eadem terra, ut habitārent simul. Unde et facta est rixa inter pāstōrēs gregum Abrahami et Lothi. Cui ut fīnis impōnerētur dīxit Abrahamus Lotho: Nē quaesō, sit iurgium inter mē, et tē, et pāstōrēs meōs, et pāstōrēs tuōs: frātrēs enim sumus. Ecce ūniversa terra cōram tē est: recēde ā mē, obsecrō: sī ad sinistram ieris, ego dexteram tenēbō: sī tū dexteram ēlēgeris, ego ad sinistram pergam. Ēlevātīs itaque oculīs Lothus vīdit regiōnem quae circā Iordanum amnem erat. Ea irrigābātur ūniversa sīcut Paradīsus terrestris, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham. Ēlēgitque Lothus sibi sēdem ibi, et morātus est in oppidīs,

rixa “Advenientēs excipiunt, abeuntēs dīmittunt, nōn sine rixā aliquandō.” (Puer Romanus 5)

iurgium “Nōn valeō sōlus negōtia vestra sustinēre, et pondus ac iurgia.” (Deuteronomium 1, 9–15)

amnis = flūmen

et habitāvit inter Sodomītās, quī pessimī hominēs erant, et peccātōrēs cōram Dominō. Abrahamus vērō habitāvit in terrā Chanaān.

8

NOVA PROMISSIO DE MULTIPLICANDO SEMINE ABRAHAMI

¶ Dīxit Dominus Abrahamo postquam recessit ab eō Lothus: Levā oculōs tuōs, et vidē ā locō, in quō nunc es, ad aquilōnem et merīdiem, ad orientem et occidentem. Omnem terram quam cōnspicis tibi dabō, et sēminī tuō in sempiternum. Faciamque sēmen tuum sīcut pulverem terrae. Sī quis potest hominum numerāre pulverem terrae, sēmen quoque tuum numerāre poterit. Surge, et perambulā terram in longitūdine et lātitūdine suā, quia tibi datūrus sum eam. Movēns igitur Tabernāculum suum Abrahamus, habitāvit prope urbem Hebronem, aedificāvitque ibi altāre Dominō.

perambulō < per + ambulāre



9
ANGELI HOSPITIO EXCEPTI AB ABRAHAMO, ET LOTHO

¶ Cum sedēret in ipsō fervōre diēī Abrahamus ante ōstium tabernāculī suī, et ēlevāsset oculōs appāruērunt eī trēs virī stantēs prope eum Quōs cum vīdisset cucurrit in occursum eōrum ab ōstiō tabernāculī, et prōcumbēns in terram dīxit: Domine, sī invēnī grātiam in oculīs tuīs, nē trānseās servum tuum, sed afferant pauxillum aquae, et lavāte pedēs vestrōs, et requiēscite sub arbore, pōnamque buccellam pānis, et corrōborāte cor vestrum. Posteā trānsībitis. Idcircō dēclīnāstis ad servum vestrum. Quī dīxērunt: Fac ut locūtus est. Festīnāvit Abrahamus in Tabernāculum ad Sāram, dīxitque. Accelerā: similam commiscē, et pānēs sub cinere coctōs affer quamprīmum.

Ipse vērō ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque servō, quī festīnāvit, et coxit illum. Tulit quoque būtyrum, et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit cōram eīs ipse vērō stābat iuxtā eōs sub

pauxillus = parvus

buccella "Et post buccellam, introīvit in eum Satanās." (Ioannes 13, 21–30)
corrōborō = cōnfirmō

quamprīmum "Sciō tē omnia factūrum, ut nōbiscum quamprīmum sīs." (Heuzet, Selectae e profanis 3.27)
tener facile est frangere id quod tenerum est

arbore. Cum autem comēdissent, et surrēxissent, dēdūxit eōs Abrahamus. Vēnērunt duo ex illīs virīs seu Angelīs Sodomam vespere, sedente Lotho in foribus cīvitātis, Quī cum vīdisset eōs, surrēxit et īvit obviam eīs, adōrāvitque prōnus in terram, et dīxit: Obsecrō, Domine, dēclīnāte in tabernāculum servī vestrī, et manēte ibi, lavāte pedēs vestrōs, et māne quō vōbīs animus est īre, proficīscēminī. Quī dīxērunt: Minimē: sed in plateā manēbimus. Compulit Lothus eōs oppidō ut dīverterent ad eum; cumque ingressī essent domum illīus, parāvit eīs convīvium, et coxit pānēs sine fermentō, et comēdērunt.

seu = sīve

minimē "Minimē, magister, ego audiō." (Primus Annus 4)
dīvertō < dis- + vertere



10

ABRAHAMUS FILIUM ISAACUM IMMOLARE PARAT

¶ Tentāvit Deus Abrahamum, et dīxit eī Abrahame, Abrahame. At ille respondit: Adsum. Tolle, inquit Deus, filium tuum ūnigenitum Isaacum, quem dīligis, et vāde in terram vīsiōnis: atque ibi offerēs eum in holocaustum super ūnum montium, quem mōnstrāverō tibi. Igitur Abrahamus dē nocte cōnsurgēns, strāvit asinum suum dūxitque sēcum duōs iuvenēs, et Isaacum fīlium suum. Cumque concīdisset līgna in holocaustum, abiit in locum quem praecēperat eī Deus. Diē tertiō ēlevātīs oculīs vīdit locum procul; dīxitque servīs suīs. Expectāte hīc cum asinō: ego et puer ībimus illūc, properantēs, et postquam adōrāverimus, revertēmur ad vōs.

Tulit quoque līgna holocaustī, et ea imposuit super Isaacum fīlium suum: ipse vērō portābat in manibus īgnem et gladium. Cumque duo pergerent simul, dīxit Isaacus patrī suō; Pater mī. At ille respondit; Quid vīs fīlī? Ecce, inquit, īgnis et līgna; ubi est victima holocaustī? Dīxit autem

Abrahamus; Deus prōvidēbit sibi victimam holocaustī, fīlī mī. Pergēbant ergō pariter. Ubi vēnērunt ad locum, quem ostenderat Deus, Abrahamus aedificāvit in eō altāre, et super altāre līgna composuit. Cumque alligāsset Isaacum fīlium suum, posuit eum super struem līgnōrum, extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolāret fīlium suum. At ecce Angelus Dominī ē caelō clāmāvit dīcēns, Abrahame, Abrahame. Quī respondit; Adsum. Dīxitque eī.

Nōn extendās manum tuam super puerum, neque faciās illī quidquam: iam videō: timēs Deum, et nōn pepercistī ūnigenitō fīliō propter mē. Levāvit Abrahamus oculōs suōs, et post tergum vīdit arietem inter veprēs haerentem cornibus, quem assūmēns obtulit holocaustum prō fīliō. Vocāvit autem Angelus Dominī Abrahamum secundō ē Caelō, dīcēns: Per mēmetipsum iūrāvī, dīcit Dominus, quia fēcistī hanc rem, et nōn pepercistī fīliō tuō ūnigenitō propter mē, benedīcam tibi, et multiplicābō sēmen tuum sīcut stellās caelī, et velut arēnam, quae est in littore maris; possidēbit sēmen tuum portās inimīcōrum suōrum: et benedīcentur in sēmine tuō omnēs gentēs terrae: quia obēdīstī vōcī meae. Reversusque est Abrahamus ad servōs suōs, abiēruntque Bersabeae simul, et habitāvit ibi.

prōvideō "Unde prōvidendum est pācī omnium prōvinciārum." (Esther 16, 6–9)

alligō < ad + ligāre

arripiō < ad + rapere

haereō = adhaereō

egometipse "Meus est fluvius, et ego fēcī mēmetipsum." (Ezechiel 29, 1–4)

arēna "Et stetit suprā arēnam maris." (Apocalypsis 12, 13–18)



II

ELIEZIER REBECCAM UXOREM ADDUCIT AD ISAACUM

¶ Erat Abrahamus senex, diērumque multōrum, et Dominus in cunctīs benedīxerat eī Dīxitque servō seniōrī domūs suae nōmine Eliezer, quī praeerat omnibus quae habēbat: Iūrā mihi per Dominum Deum caelī et terrae, tē nōn acceptūrum uxōrem filiō meō ē filiābus Chananaeōrum, inter quōs habitō: sed in Mesopotamiam, ubi cōgnātiō mea est, profectūrum, ut inde filiō meō Isaacō coniugem addūcās. Respondit servus: Sī nōluerit mulier venīre mēcum in terram hanc, numquid redūcere dēbeō filium tuum in Chaldeam, ē quā tū ēgressus es? Dīxitque Abrahamus: Cavē nē quandō redūcās filium meum illūc.

Dominus Deus caelī, quī iussit mē domum patris meī, in quā nātus eram, relinquere, et quī iūreiūrandō cōnfirmāvit, sē sēminī meō datūrum terram hanc, ipse dīriget viam tuam, et mittet Angelum suum tēcum ut possīs inde filiō meō uxōrem ēligere. Sī vērō mulier nōluerit sequī tē, nōn tenēberis iūrāmentō. Hoc tantum tē, moneō, nē filium meum illūc redūcās, unde ēgressus sum. Iūrāvit Eliezer in verba Abrahami, tulitque decem camēlōs gregis dominī

iūsiūrandum "Tantum temporibus illis iūsiūrandum valēbat!" (Heuzet, Selectae e profanis 3.36)

suī, et portāns ex omnibus eius bonīs sēcum profectus est. Ubi pervēnit in Mesopotamiam prope urbem Haran, camēlōs suōs fēcit accubāre ac requiēscere extrā oppidum iuxtā puteum aquae vespere, tempore quō solēbant mulierēs ēgredī ad hauriendam aquam.

accubō < ad + cubāre

Et dīxit: Domine Deus dominī meī Abrahami, occurre, obsecrō, mihi hodiē, et bonus estō atque misericors ergā dominum meum Abrahamum. Ecce ego stō prope fontem aquae et fīliae habitātōrum huius cīvitātis ēgredientur ad hauriendam aquam. Fac igitur, ut puella, cui ego dīxerō: Inclīnā hydriam tuam, ut bibam, et quae responderit: Bibe, quīn, et camēlīs tuīs dabō pōtum: ipsa sit quam praeparāstī servō tuō Isaacō, et per hoc intelligam et bonitāte et misericordiā ūsum esse in dominum meum. Vix haec verba prōtulerat, cum cōnspecta ab eō est Rebecca puella māximē decōra, virgōque pulcherrima, quae ubi dēscendit ad fontem, et implēvit hydriam: revertēbātur. Occurrit eī Eliezer, et dīxit.

misericors "Quōmodo potueris, ita estō misericors." (Tobias 4, 7–14)
ergā "Tuam prūdentiam, tuum ergā mē animum novī." (Heuzet, Selectae e profanis 3.27)

bonitās < bonus

decōrus "Ecce tū pulcher es, dilecte mī, et decōrus!" (Canticum 1, 7–16)

Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebē ex hydriā tuā. Quae respondit: Bibe, domine mī. Celeriterque dēposuit hydriam ex scapulā super ulnam suam: et dedit eī pōtum. Cumque ille bibisset, adiēcit Rebecca: Quīn et camēlīs tuīs hauriam aquam, dōnec cunctī bibant. Effundēnsque hydriam in canālēs recurrit ad puteum, ut haurīret aquam: et haustam omnibus camēlīs dedit, ipse autem contemplābātur eam tacitus, scīre volēns utrum prosperum iter suum fēcisset Dominus, an nōn. Postquam bibērunt camēlī, prōtulit servus Abrahami inaurēs aureās et armillās, quās trādidit Rebeccae, et dīxit eī: Cuius es fīlia? indicā mihi. Est in domō patris tuī locus ad manendum? Quae respondit. Fīlia sum Bathuēlis, quī nātus est Nachore, frāter Abrahami.

celeriter "Cūr tam celeriter curris?" (Pons tironum 8)

adiiciō < ad + iacere

recurrō < re- + currere

contemplor = spectō

tacitus "Per fenestram igitur tacitus, nē quem ē somnō excitāret, intrāvit." (Pons tironum 12)
prosper "Sit eī iter prosperum!" (Pro patria 16)
inauris "Inaurēs enim aureās Ismaëlitae habēre cōnsuēverant." (Iudices 8, 22–28)

Paleārum et foenī plūrimum est apud nōs, et locum spatiōsum ad manendum. Tum inclīnāvit sē homō, et adōrāvit Dominum, dīcēns: Benedictus sit Dominus Deus dominī meī Abrahami, quī nōn abstulit misericordiam ā dominō meō; et rēctō itinere mē perdūxit domum frātris

dominī meī. Cucurrit vērō puella, et nūnciāvit mātrī suae Melchae omnia quae contigerant. Erat tunc domī frāter Rebeccae, cui nōmen Lābānus. Hic cum vīdisset inaurēs et armillās in manibus sorōris suae, et cuncta audīsset quae illa sibi ab Eliezere dicta referēbat, festīnus ēgressus est ad hominem quī stābat cum camēlīs prope fontem aquae, dīxitque eī. Ingredere, benedicte ā Dominō: cūr forīs stās? praeparāvī domum, et locum camēlīs.

Et intrōdūxit eum in hospitium: camēlīs strāgula dētraxit, deditque illīs paleās et foenum, et aquam hospitī ad lavandōs pedēs eius et virōrum quī vēnerant cum eō, et appositus est in cōnspectū eius pānis. At ille negāvit quidquam cibī dēgustātūrum exposuisset susceptī itineris causam et quae sibi iuxtā fontem sedentī; atque Dominum Deum ōrantī contigissent. Quod ubi plūribus verbīs praestitit, respondērunt Lābānus et Bathuel: Ā Dominō ēgressus est sermō; nōn possumus adversum voluntātem eius quidquam loquī tēcum. Ēn Rebecca cōram tē est tolle eam et sit uxor Fīliī dominī tuī, sīcut locūtus est Dominus. Quod cum audīsset servus Abrahami, procidēns in terram adōrāvit Dominum.

hospitium "Intrōdūcēns ergō eōs, recēpit hospitiō." (Actus 10, 17–23)

hospes "Tum ad hospitēs conversus; Unde estis, bonī iuvenēs?" (Epitome Historiae Sacrae 158)

procidō < prō + cadere

Prōlātīsque vāsīs argenteīs, et aureīs, ac vestibus, dedit ea Rebeccae prō mūnere; Frātribus quoque eius et mātrī dōna obtulit. Deinde initō convīviō, vescentēs pariter et bibentēs mansērunt ibi. Surgēns autem māne Eliezer, dīxit: Dīmitte mē, ut vādam ad Dominum meum. Respondēruntque frātrēs Rebeccae et māter: Maneat puella saltem decem diēs apud nōs, et posteā proficīscētur. Nōlīte, ait, mē retinēre; quia Dominus dīrēxit viam meam: dīmittite mē, ut pergam ad Dominum meum. Et dīxērunt: Vocēmus puellam, et quaerāmus ipsīus voluntātem. Cum vocāta vēnisset, sciscitātī sunt: Vīs īre cum homine istō? Quae respondit: Vādam. Dīmīsērunt ergō eam et nūtrīcem illīus servumque Abrahami et comitēs eius, precantēs prospera sorōrī suae.

saltem "Parcite, quaesō, parcite saltem divitiis quās amātis." (Sanctorum vitae 20)

precor cf. prex

Igitur Rebecca et puellae illīus, ascēnsīs camēlīs secūtae sunt Eliezierem, quī festīnus revertēbātur ad dominum suum. Eō autem tempore ēgressus Isaacus ad meditandum in agrō inclīnātā iam diē deambulābat. Cumque ēlevāsset oculōs, vīdit camēlōs venientēs procul. Rebecca quoque cōnspectō Isaacō, ē camēlō dēscendit, et dīxit servō: Quis est ille homō quī venit per agrum in occursum nōbīs? Respondit Eliezer: Ipse est Dominus meus. At illa tollēns cito pallium operuit sē. Servus autem cuncta quae gesserat nārrāvit Isaacō, quī intrōdūxit Rebeccam in tabernāculum mātris suae, et accēpit eam in uxōrem. Tantum vērō dilēxit eam, ut dolōrem, quī ex morte Sārae mātris eius acciderat, temperāret.

meditor = cōgitō

deambulō < dē + ambulāre



12

PROFUGUM IACOBUM CONSOLATUR DEUS

¶ Ōderat Esaū frātrem suum Iācōbum propter benedictiōnem prīmōgenitī, quam ā patre accēperat sequī eī propter mortem allātūrum palam minābātur. Timēns itaque Rebecca vītae cārissimī sibi fīliī Iācōbī, persuāsit illōrum parentī Isaacō, mittendum esse eum quamprīmum in Mesopotamiam, tum ut inde sibi ē domō cōnsanguineam uxōrem assūmeret, tum ut intereā cessāret indignātiō et furor frātris eius. Igitur cum dīmīsisset eum pater, profectus Iācōbus vēnit ad quemdam locum, voluitque in eō requiēscere post sōlis occāsum. Tulit ūnum ē lapidibus quī iacēbant in agrō, et suppōnēns capitī suō, dormīvit in eōdem locō. Vīditque in somnīs scālam stantem super terram et summam eius partem tangentem caelum.

Angelōs quoque Deī ascendentēs et dēscendentēs per eam: et Dominum innixum scālae dīcentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abrahami patris tuī, et Deus Isaacī: terram in quā dormīs, tibi dabō et sēminī tuō, eritque sēmen tuum quasi pulvis terrae, dīlātāberis ad occidentem, et orientem, et septentriōnem, et merīdiem: et benedīcentur in tē et sēmine tuō cunctae tribūs terrae. Et erō custōs tuus quōcumque

palam "Et palam verbum loquēbātur." (Marcus 8, 31–33)
minor "Esaüs ardēns īrā minābātur mortem Iacōbo." (Epitome Historiae Sacrae 33)
persuādeō < per + suādēre

suppōnō < sub + pōnere

dīlātō "Et dīlātāvit fīnēs gentis suae, et obtinuit regiōnem." (I Machabaeorum 14, 6–11)
occidēns "Haec est plaga contrā mare, ad occidentem." (Iosue 18, 11–14)
quōcumque "Hī sequuntur Agnum quōcumque ierit." (Apocalypsis 14, 1–5)

perrēxeris: et redūcam tē in terram hanc, nec dīmittam, nisi complēverō omnia quae dīxī. Cum ēvigilāsset Iācōbus dē somnō, dīxit: Vērē Dominus est in locō istō, et ego nesciēbam, pavēnsque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! nōn est hīc aliud nisi domus Deī, et porta caelī.

Surgēns ergō Iācōbus māne, tulit lapidem quem supposuerat capitī suō, et ērēxit in titulum, fundēns oleum super eum. Vōvit etiam vōtum dīcēns: Sī fuerit Deus mēcum, et custōdierit mē in viā per quam ego ambulō, et dederit mihi pānem ad vescendum, et vestīmentum ad induendum, reversusque fuerō prosperē domum patris meī, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem ērēxī in titulum, vocābitur domus Deī, cunctōrumque, quae dederit mihi Deus, decimās offeram tibi.

ēvigilō < ex + vigilāre

paveō "Erat enim cor eius pavēns prō arcā Dei." (I Regum 4, 12–16)
terribilis "Sanctum et terribile nōmen eius." (Psalmus 110, 1–10)



13

IACOBUS BENIGNE EXCIPITUR A LABANO AVUNCULO

¶ Iācōbus iter persecūtus, in Mesopotamiam pervēnit, et vīdit puteum in agrō, trēs quoque gregēs ovium accubantēs iuxtā eum. Nam ex illō adaquābantur pecora, et ōs eius grandī lapide claudēbātur. Mōrisque erat, ut, cunctīs ovibus congregātīs, dēvolverent lapidem, et refectīs gregibus, rūrsum super ōs puteī pōnerent. Dīxitque pāstōribus: Frātrēs unde estis? Quī respondērunt Ex urbe Haran. Quōs iterum interrogāns: Numquid, ait, nōstis Lābānum? Dīxērunt: Nōvimus. Sānus ne est? Valet, inquiunt Et ecce Rachel fīlia eius venit cum grege suō. Dīxitque Iācōbus. Adhūc multum diēī superest, et nōndum tempus est, ut redūcantur ad caulās gregēs: date ante pōtum ovibus, et sīc eās ad pāstum redūcite.

adaquō "Bibī, et adaquāvit camēlōs." (Genesis 24, 45–49)

pāstus < pāscere

Quī respondērunt: Nōn possumus, dōnec omnia pecora congregentur, et āmoveāmus lapidem ab ōre puteī, ut adaquēmus gregēs. Adhūc loquēbantur, et ecce Rachel veniēbat cum ovibus patris suī: nam gregem ipsa pāscēbat.

āmoveō < ab + movēre

Quam cum vīdisset Iācōbus, et scīret cōnsōbrīnam suam esse, ovēsque Lābānī avunculī suī: āmōvit lapidem quō puteus claudēbātur, et adaquātō grege, ōsculātus est eam, et ēlevātā vōce flēvit, et indicāvit eī fīlium esse sē Rebeccae sorōris patris eius. At illa festīnāns nūnciāvit patrī suō. Quī cum audīsset vēnisse Iācōbum fīlium sorōris suae, cucurrit obviam eī, complexusque eum, et in ōscula ruēns, dūxit in domum suam.

ōsculor "Et ōsculāta est eās." (Ruth 1, 7–12)

ōsculum "Salūtāte frātrēs omnēs in ōsculō sanctō." (I ad Thessalonicēnsēs 5, 25–28)

14

IOSEPHUS PATRI CHARUS ET FRATRIBUS INVISUS

¶ Iācōbus quī et aliō nōmine Israēl dīcitur, fīliōs habuit duodecim inter quōs praecipuō amōre dīligēbat Iōsēphum, eō quod in senectūte genuisset eum: dederatque eī tunicam ē fīlīs variī colōris textam Vidēntēs autem frātrēs eius, illum esse patrī caeterīs fīliīs cāriōrem, ōderant eum, nec poterant eī quidquam pācificum dīcere, māximē ex quō tempore sexdecim annōs nātus, et pāscēns gregem, quōsdam ex iīs accūsāverat apud patrem dē crīmine pessimō. Sed maiōris odiī atque invidiae occāsiōnem dedit somnium duplex, quod ā sē vīsum frātribus suīs retulit Iōsēphus. Dīxit enim eīs: Audīte somnium meum quod vīdī.

praecipuus "Quid praecipuum in rēbus hūmānīs est?" (Heuzet, Selectae e profanis 4.4)
senectūs "Vērumtamen in tempore senectūtis suae doluit pedēs." (III Regum 15, 23–24)
texō "Veste, quae ex duōbus texta est, nōn indueris." (Leviticus 19, 19–23)
accūsō "Ut sē accūsārī nōlunt!" (Heuzet, Selectae e profanis 5.35)
crīmen = dēlictum
invidia = odium
duplex "Duplex est animī fortitūdō." (Heuzet, Selectae e profanis 4.1)

Putābam nōs ligāre manipulōs in agrō, et quasi cōnsurgere manipulum meum et stāre, ā vestrīs vērō manipulīs circumstantibus adōrārī manipulum meum. Respondērunt frātrēs eius. Numquid Rēx noster eris, aut subiiciēmur ditiōnī tuae? Aliud quoque vīdit somnium, quod nārrāns frātribus: Vīdī, inquit, inter somnium quasi sōlem et lūnam et stellās undecim, adōrāre mē. Quod cum patrī suō et frātribus retulisset: increpāvit eum pater, et dīxit: Quid sibi vult hoc somnium quod vīdistī? num ego et māter tua et frātrēs tuī adōrābimus tē super terram? Invidēbant igitur eī frātrēs: pater vērō rem tacitus cōnsīderābat.

circumstō < circum + stāre

increpō "Discipulī autem increpābant eōs." (Matthaeus 19, 13–15)
invideō < in + vidēre



15

IOSEPH VENDITUS A FRATRIBUS

¶ Iācōbus mīsit fīlium Iōsēphum ad quaerendum frātrēs suōs quī pāscēbant ovēs in agrīs Sichem, et vidēndum, an cuncta prospera essent circā eōs et pecora. Ut illī cōnspexērunt eum procul, antequam accēderet ad illōs; eius occīdendī cōnsilium cēpērunt, et mūtuō loquēbantur: Ecce somniātor venit, venīte occīdāmus eum, et proiiciāmus in cisternam veterem: dīcēmusque; fera pessima dēvorāvit eum: Et tunc appārēbit quid illī prōsint somnia sua. Audiēns autem hoc Ruben quī erat inter eōs aetāte māximus, nītēbātur līberāre Iōsēphum ē manibus frātrum, et dīcēbat: Nē vītam eī ēripiātis, neque effundātis eius sanguinem: sed tantum dīmittite eum in cisternam hanc, quae est in sōlitūdine, manūsque vestrās ā frāternā caede innoxiās servāte.

Hoc autem dīcēbat, volēns ēripere eum ē manibus illōrum, et reddere patrī suō. Cōnfestim igitur, ut pervēnit Iōsēphus ad frātrēs suōs nūdāvērunt eum tunicā tālārī, ē fīlīs variī colōris mixtā, et dēmīsērunt in cisternam veterem, quae nōn habēbat aquam. Cum autem cōnsēdissent ad comedendum

somniō cf. somnium
cisterna "In forō solent esse cisternae." (Vestibulum 6)
nītor "Quis habet fortius certāmen; quam quī nītitur vincere sē ipsum?" (De imitatione Christi 1, 3)
caedēs "Et fēcit caedem hominum, et locūtus est in superbiā māgnā." (I Machabaeorum 1, 21–29)
innoxius = innocēns
cōnfestim "Et cōnfestim vīdērunt, et secūtī sunt eum." (Matthaeus 20, 29–34)
nūdō cf. nūdus
misceō "Nōn potest amor cum timōre miscērī." (Heuzet, Selectae e profanis 3.26)
dīmittō < dē + mittere
cōnsīdō "Cumque adōrāssent Deum, et grātiās ēgissent, cōnsēdērunt." (Tobias 11, 7–12)

pānem, vīdērunt Ismaēlītās viātōrēs, et camēlōs eōrum portantēs varia arōmata in Aegyptum. Dīxit ergō Iūdās frātribus suīs: Quid prōderet sī occīderimus frātrem nostrum, et occultāverimus mortem ipsīus? melius est ut vēnumdētur Ismaēlītīs, et manūs nostrae nōn polluantur: frāter enim et carō nostra est.

viātor is quī iter facit

occultō = abscondō
vēnundō = vendō

Pāruērunt frātrēs verbīs illīus, et extrahentēs Iōsēphum ē cisternā vīgintī argenteīs vendidērunt praetereuntibus negōtiātōribus, quī dūxērunt in Aegyptum: reversusque Ruben ad cisternam, nōn invēnit puerum, et scissīs vestibus pergēns ad frātrēs suōs: dīxit: Puer nōn compāret, et ego quō ībō? Tulērunt autem frātrēs Iōsēphī tunicam eius, et in sanguine haedī, quem occīderant, tinxērunt. Tum mīsērunt quī ferrent ad patrem, et dīcerent: Hanc invēnimus tunicam: vidē utrum filiī tuī sit, an nōn. Quam cum āgnōvisset pater, dīxit; Tunica filiī meī est: fera pessima comēdit eum, bestia dēvorāvit Iōsēphum. Scissīsque vestibus, indūtus est ciliciō, lūgēns filium suum multō tempore. Congregātīs autem cunctīs liberīs eius ut lēnīrent dolōrem patris, nōluit cōnsōlātiōnem accipere, sed dīxit: Dēscendam ad filium meum lūgēns in sepulchrum; diūque persevērāvit in flētū.

extrahō < ex + trahere

negōtiātor "In Basilicīs iūdicia conveniunt, negōtiātōrēs rem agunt." (Puer Romanus 6)
compāreō < con- + pārēre

haedus "Nōn coquēs haedum in lacte mātris suae." (Exodus 23, 14–19)

fera animal quod nōn domesticum est

cilicium "Deinde scidit vestem, et induit cilicium." (Epitome Historiae Sacrae 43)

persevērō "Quī autem persevērāverit usque in finem, hic salvus erit." (Sanctorum vitae 61)
flētus < flēre

16

IOSEPHO HERO PUTIPHARI CARUS

¶ Ubi in Aegyptum ab Ismaēlītīs perductus est Iōsēphus: ēmit eum Putīphar Aegyptius Fuit autem Dominus cum Iōsēphō, ita ut cuncta illī prosperē acciderint. Habitāvitque in aedibus dominī suī, quī optimē cōgnōscēbat Deum esse cum illō, et omnia quae gereret ad fēlīcem exitum perdūcere. Invēnit itaque Iōsēphus grātiam cōram herō cui ministrābat, et praepositus ab eō omnibus, gubernābat crēditam sibi domum, et ūniversa quae eī trādita fuerant. Nec Putīphar, relictā fidēlī ministrō rērum suārum cūrā, quidquam aliud nōverat, nisi pānem quō vescēbātur. Benedīxitque Dominus domuī Aegyptiī propter Iōsēphum, et quidquid habēbat sīve domī, sīve rūrī; mīrē auxit.

erus = dominus

gubernō = regō

rūs = ager
mīrē < mīrus



17

IOSEPHUS IN CARCEREM CONIICITUR

¶ Erat Iōsēphus pulchrā faciē, et decōrus aspectū. Itaque domina eius oculōs iniēcit in illum, et turpī libīdine ardēns, iuvenem ad flāgitium pellicere voluit At ille nēquāquam cōnsentiēns scelerī nefāriō, respondit. Ecce Dominus meus, omnibus mihi trāditīs, īgnōrat quid habeat in domō suā; nec quidquam est quod nōn in meā sit potestāte, vel nōn trādiderit mihi, praeter tē, quae uxor eius es; quōmodo ergō possum hoc malum facere et peccāre in Deum meum? Per singulōs diēs mulier molesta erat adolēscentī, et ille assentīrī nōlēbat. Contigit autem quādam diē, ut intrāret Iōsēphus domum, et opus aliquod absque arbitrīs faceret.

Tum illa apprehendit ōram vestīmentī eius: vērum ille, relictō in manū eius palliō, fūgit et ēgressus est forās. Cumque vīdisset mulier vestem in manibus suīs, et sē esse contemptam: vocātīs ad sē famulīs domūs suae, dīxit: Ēn Putīphar intrōdūxit virum Hebraeum ut illūderet nōbīs: voluit enim ille mihi vim īnferre: cum vērō ego exclāmāssem, relīquit pallium, quod tenēbat, et aufūgit. In argūmentum quoque fideī suae retentum pallium ostendit marītō revertentī domum. Ille, audītīs quaerēlīs coniugis, et eius verbīs nimium crēdulus, īrātus est valdē, mīsitque Iōsēphum in eum carcerem, ubi vinctī rēgis custōdiēbantur, et ibi clausus est.

domina “At illa concēpisse sē vidēns, dēspexit dominam suam.” (Genesis 16, 1–5)
iniciō < in + iacere
flāgitium = scelus
cōnsentiō < con- + sentīre
nefārius = impius

molestus “Peregrinō molestus nōn eris.” (Exodus 23, 1–9)

ōra = lītus

famulus = servus

illūdō < in + lūdere

aufugiō < ab + fugere

nimium = nimis

Fuit autem Dominus cum Iōsēphō, et misertus illīus, dedit eī grātiam in cōnspectū Praefectī carceris. Hic ergō trādidit Iōsēphō ūniversōs vinctōs quī in custōdiā tenēbantur, ita ut nihil, nisi illīus iussū, fieret; nec ipse Praefectus cuiusquam reī cūram gereret, cunctīs eī crēditīs, Dominus quippe erat cum illō, et omnia opera eius dīrigēbat.

praefectus "Praefectus iussit eum suō carcere recipī et maiōribus vinculīs ligārī." (Acta martyrum 7)
iussus < iubēre

18

SOMNIA DUORUM VINCTORUM INTERPRETATUR IOSEPHUS

¶ Annō ūnō postquam in carcerem coniectus fuerat Iōsēphus, adversus rēgem Dominum suum peccāvēre Aegyptiī duo. Alter pincernīs praeerat, alter pistōribus. Accidit autem ut uterque in eum carcerem missus fuerit: in quō erat vinctus et Iōsēphus. Cum aliquantulum temporis effluxisset, quī in custōdiā tenēbantur, habuērunt ambō eādem nocte somnium, indicāns quid in posterum utrīque esse ēventūrum. Ad quōs cum introīsset Iōsēphus māne, et vīdisset eōs trīstēs, sciscitātus est, cūr trīstior solitō esset faciēs eōrum. Quī respondērunt: Somnium vīdimus, et nōn est quī interpretētur nōbīs. Dīxitque eīs Iōsēphus: Numquid nōn Deī est interpretātiō somniōrum? referte mihi quid vīderitis.

coniciō < con- + iacere

pincerna "Ego enim eram pincerna rēgis." (Nehemias 1, 9–11)

effluō < ex + fluere

solitum = cōnsuētūdō

interpretor "Et ideō quī loquitur linguā, ōret ut interpretētur." (I ad Corinthios 14, 7–13)
interpretātiō "Et haec est interpretātiō sermōnis." (Daniel 5, 23–28)

Tum praepositus pincernārum nārrāvit prior somnium suum hīs verbīs: Vidēbam cōram mē vītem, in quā erant trēs prōpāginēs, crēscere paulātim in gemmās, et postquam ērūpissent flōrēs, ūvās mātūrēscere. Eratque calix Pharaōnis in manū meā. Tulī ergō ūvās et expressī in calicem quem tenēbam, et trādidī pōculum Pharaōnī: Respondit Iōsēphus: Haec est interpretātiō somniī, trēs prōpāginēs, trēs diēs sunt: post quōs recordābitur Pharao ministeriī tuī, et restituet tē in gradum pristinum: dabisque eī calicem iuxtā officium tuum sīcut ante facere cōnsuēverās.

flōs flōrēs in hortō crēscunt

pōculum = calix

pristinus "Tum reversae sunt aquae in locum pristinum." (Epitome Historiae Sacrae 94)

Tantum mementō meī cum bene tibi fuerit; et sortis meae misertus, mentiōnem meī faciās apud Pharaōnem, ut ēdūcat mē dē istō carcere, quia furtim sublātus sum dē terrā Hebraeōrum, et hīc innocēns in foveam coniectus sum. Vi-

mentiō "Adeō nūlla est meī mentiō?" (Vives, Exercitatio 21)

dēns pistōrum magister somnium sociī suī fuisse prūdenter dissolūtum ā Iōsēphō, dīxit: Et ego habuī somnium. Nempe vīdī, quod tria canistra habērem super caput meum; et in eō canistrō quod erat caeterīs excelsius, portārem cibōs omnēs quī fiunt arte pistōriā, avēs dēvolantēs comedere ex eō. Respondit Iōsēphus: Haec est interpretātiō somniī: tria canistra trēs adhūc diēs sunt, ac suspendet tē in cruce, et lacerābunt volucrēs carnēs tuās.

Tertius post duplicem hanc somniōrum interpretātiōnem diēs nātālītius Pharaōnis fuit: quī grande convīvium parāns, recordātus est magistrī pincernārum, et pistōrum Prīncipis; restituitque alterum in ministerium suum, ut porrigeret sibi pōculum, alterum vērō suspendit in patibulō. Ita Iōsēphum vēra praedīxisse ēventū probātum est. Et tamen succēdentibus, prosperīs Praepositus pincernārum oblītus est interpretis suī.

prūdenter < prūdēns

nempe = scīlicet

dēvolō < dē + volāre

patibulum = crux

ēventus “Spem piē conceptam fēlix ēventus excipit.” (Heuzet, Selectae VT II 14)



19

GEMINUM PHARAONIS SOMNIUM IOSEPHUS EXPLICAT

¶ Post duōs annōs vīdit Pharao somnium. Putābat stāre sē iuxtā Nīlum fluvium, ē quō ascendēbant septem bovēs pulchrae et crassae, et pāscēbantur in locīs palustribus. Aliae quoque septem ēmergēbant ex eōdem flūmine foedae, cōnfectaeque maciē, quae dēvorāvērunt eās, quārum mīra speciēs et habitūdō corporum erat. Expergēfactus Pharao, rūrsum dormīvit, et vīdit alterum somnium. Septem spīcae pullulābant in culmō ūnō, plēnae atque fōrmōsae; aliae quoque totidem spīcae tenuēs et percussae ūrēdine oriēbantur, quae priōrēs pulchrās, et plēnās dēvorābant. Ēvigilāns Pharao post quiētem; ubi diēs illūxit, pavōre perterritus, mīsit ad omnēs coniectōrēs Aegyptī, cunctōsque sapientēs: et accersītīs nārrāvit somnium, nec erat quī interpretārētur.

Tunc dēmum reminīscēns eōrum quae sibi bienniō ante contigerant Magister pincernārum, dixit: Cōnfiteor peccātum meum. Īrātus Rēx servīs suīs, mē et Magistrum

crassus “Erat autem Eglon crassus nimis.” (Iudices 3, 12–17)
ēmergō “Ubi possēdit animum nimia vis vīnī, quidquid malī latēbat ēmergit.” (Heuzet, Selectae e profanis 5.13)
spīca “Atque inde surrēxit, ut spīcās ex mōre colligeret.” (Ruth 2, 14–17)
fōrmōsus < fōrma
quiēs “Cūr quaeris quiētem; cum nātus sīs ad labōrem?” (De imitatione Christi 2, 10)
pavor “Ob hanc causam pavor animōs omnium occupāverat.” (Fabulae faciles 6)
perterreō “Nōn poterant respondēre frātrēs nimiō terrōre perterritī.” (Genesis 45, 1–5)
accersō “Interrogō ergō, quam ob causam accersīstis mē?” (Actus 10, 24–29)
dēmum = tandem
biennium “Post biennium rēx ipse habuit somnium.” (Epitome Historiae Sacrae 50)

pistōrum retrūdī iussit in carcerem, ubi ūnā nocte uterque vīdimus somnium praesāgum futūrōrum. Erat ibi puer Hebraeus, cui nārrantēs somnia, audīvimus quidquid posteā reī probāvit ēventus. Ego enim redditus sum officiō meō, et ille suspēnsus est in cruce. Prōtinus ad Rēgis imperium ēductum ē carcere Iōsēphum totondērunt, ac veste mūtātā, in rēgiam perdūxērunt. Tunc eī Rēx. Vīdī, inquit, somnia, nec est quī ea explānet: quae audīvī tē sapientissimē interpretārī. Respondit Iōsēphus: Absque mē respondēbit Deus prospera Pharaōnī. Nārrāvit ergō Pharao quod vīderat. Putābam mē stāre super rīpam flūminis.

Et septem bovēs ab eōdem cōnscendere pulcherrimās, et obēsīs carnibus: quae in pāstū palūdis virēta carpēbant. Et ecce, hās sequēbantur aliae septem bovēs tam dēfōrmēs et macilentae, ut numquam tālēs in Aegyptō vīderim; quae, dēvorātīs et cōnsūmptīs priōribus nūllum saturitātis dedēre sīgnum: sed similī maciē et squālōre torpēbant. Ēvigilāvī: at rūrsus sopōre dēpressus, alterum vīdī somnium. Septem spīcae pullulābant in culmō ūnō, plēnae atque pulcherrimae. Aliae quoque septem tenuēs et percussae ūrēdine oriēbantur ē stipulā, quae priōrum pulchritūdinem dēvorāvērunt. Nārrāvī coniectōribus somnium, et nēmō est quī explicet.

Respondit Iōsēphus: Geminum illud Rēgis somnium ūnum atque idem est, quae factūrus est Deus, ostendit Pharaōnī: Septem bovēs pulchrae, et septem spīcae plēnae, septem ūbertātis annī sunt. Septem quoque bovēs tenuēs atque macilentae, et septem spīcae tenuēs ac ventō ūrente percussae, septem annī ventūrae famis sunt. Quī hōc ōrdine complēbuntur. Ecce septem annī venient fertilitātis māgnae in ūniversā terrā Aegyptī, quōs sequentur septem annī aliī tantae sterilitātis, ut oblīviōnī trādātur cuncta retrō abundantia, et ūbertātis māgnitūdinem perditūra sit inopiae māgnitūdō. Quod autem duplex ad eamdem rem pertinēns somnium habuistī, hoc ēventūs certō et cito futūrī indicium est. Nunc ergō quaerat Rēx virum sapientem, et industrium. Praeficiat eum Aegyptō.

retrūdō "Suscipiēns autem eōs tribūnus retrūsit in custōdiam pūblicam." (Acta martyrum 28)

prōtinus "Spērō autem prōtinus tē vidēre, et ōs ad ōs loquēmur." (III Ioannis 1, 9–14)

tondeō "Nōn operāberis in prīmōgenitō bovis, et nōn tondēbis prīmōgenita ovium." (Deuteronomium 15, 19–23)

sapienter < sapiēns

rīpa "Et ēdūxit mē, et convertit ad rīpam torrentis." (Ezechiel 47, 5–8)

cōnscendō "Nunc ergō cōnscendite, quia hodiē reperiētis eum." (I Regum 9, 8–13)

ūrō = incendō

abundantia "Ex abundantiā enim cordis ōs loquitur." (Lucas 6, 42–46)

indicium cf. indicāre

Ille autem cōnstituat praepositōs per cunctās regiōnēs, et quīntam partem fructuum per septem annōs fertilitātis, Quī iam nunc futūrī sunt convehat in horrea: et omne frūmentum condātur servēturque in urbibus sub Pharaōnis potestāte, atque praeparētur futūrae septem annōrum famī, quae oppressūra est Aegyptum. Placuit Pharaōnī cōnsilium, et cunctīs ministrīs eius, exclāmāvitque: Num invenīre poterimus tālem virum, quī spīritū Deī plēnus sit? et dīxit Iōsēphō. Quia ostendit tibi Deus omnia quae locūtus es: numquid sapientiōrem quemquam, aut cōnsimilem tuī invenīre poterō? Ecce cōnstituī tē super ūniversam terram Aegyptī. Absque tuō imperiō nōn movēbit quisquam manum aut pedem. Et ad tuī ōris imperium cunctus populus obēdiet: ūnō tantum rēgnī soliō tē praecēdam.

convehō = portō

horreum "Benedicta horrea tua, et benedictae reliquiae tuae." (Deuteronomium 28, 1–7)

cōnsimilis < con- + similis

Tum dētractum ē manū suā annulum, eius manuī īnseruit, vestīvit eum stolā byssinā, et collō torquem aureum circumposuit: voluit praetereā eum adscendere super currum suum secundum, clāmante praecōne, ut omnēs cōram eō genuflecterent, et Praepositum esse scīrent ūniversae terrae Aegyptī. Vertitque nōmen eius, et vocāvit eum linguā Aegyptiacā Salvātōrem mundī. Deditque illī uxōrem Assenetham filiam Putiphare Sacerdōtis Hēliopoleos, ex quā nātī sunt eī posteā fīliī duo Mānāssēs, et Ephraimus. Porrō trīgintā annōrum erat Iōsēphus, quandō stetit in cōnspectū Pharaōnis.

īnserō = sēminō

praetereā "Praetereā trādidit mihi Helcīās sacerdōs hunc librum." (II Paralipomenon 34, 14–20)

praecō = nūntius



20

SEPTEM ANNI UBERTATIS, TOTIDEMQUE INOPIAE

¶ Ēgressus Iōsēphus ē cōnspectū Pharaōnis, circuīvit ac perlustrāvit omnēs regiōnēs Aegyptī. Vēnitque fertilitās septem annōrum: et in manipulōs redactae segetēs congestae sunt in horreīs Aegyptī. Omnis etiam frūgum abundantia in singulīs urbibus condita est. Tantaque fuit cōpia trīticī, ut arēnae maris coaequārētur, et cōpia mēnsūram excēderet. Trānsactīs septem annīs ūbertātis, coepērunt venīre septem annī inopiae, quōs praedīxerat Iōsēphus, et in ūniversō orbe famēs praevaluit, in cunctā autem terrā Aegyptī pānis erat. Cum vērō etiam apud Aegyptiōs grassārī famēs incēpisset, clāmāvit populus ad Pharaōnem, alimenta petēns. Quibus ille respondit: Īte ad Iōsēphum, et quid quid ipse vōbīs dīxerit facite. Aperuitque Iōsēphus ūniversa horrea, et vendēbat Aegyptiīs: nam et illōs oppresserat famēs. Omnēsque Prōvinciae veniēbant in Aegyptum, ut emerent escās, et malum inopiae temperārent.

circueō “Circuiēruntque cīvitātem secundō diē semel, et reversī sunt in castra.” (Iosue 6, 8–14)
redigō < re- + agere
seges “Succendērunt ergō servī Absālōm segetem ignī.” (II Regum 14, 28–31)
congerō = colligō
frux “Hodiē ēgrediminī mēnse novārum frūgum.” (Exodus 13, 1–6)
trīticum “Ubi est trīticum et vīnum?” (Lamentationes 2, 9–12)
excēdō < ex + cēdere

alimentum = cibus

21

FRATRES IOSEPHI TRADITI IN CUSTODIAM

¶ Cum audīvisset Iācōbus alimenta vendī in Aegyptō, dīxit fīliīs suīs. Cūr sīc dēsidēs cunctāminī? audīvī, trīticum vēnumdārī in Aegyptō: dēscendite, et emite nōbīs illinc necessāria, ut possīmus vīvere, et nōn cōnsūmēmur inopiā. Profectī igitur decem frātrēs Iōsēphī, ut emerent frūmenta, ingressī sunt in Aegyptum cum aliīs, quī pariter veniēbant ad emendam annōnam. Iācōbus vērō retinuit domī Beniaminum, timēns nē forte in itinere aliquid malī paterētur. Erat tunc Iōsēphus Prīnceps in Aegyptō, atque ad eius nūtum frūmenta populīs vendēbantur. Cumque adōrāssent eum frātrēs suī, et āgnōvisset illōs: nōn est ipse cōgnitus ab eīs. Itaque quasi ad aliēnōs dūrius alloquēns, dīxit: Unde vēnistis? quī respondērunt: Dē terrā Chanaān, ut emāmus vīctuī necessāria.

cunctor = moror

annōna “Ex aliīs quoque regiōnibus conveniēbātur in Aegyptum ad emendam annōnam.” (Epitome Historiae Sacrae 55)

dūrē < dūrus

vīctus < vīvere

Explōrātōrēs estis, inquit Iōsēphus: ut videātis īnfirmiōra Aegyptī vēnistis? Quī dīxērunt. Nōn est ita, Domine, sed servī tuī vēnērunt, ut emerent cibōs. Omnēs fīliī ūnīus virī sumus. Pācificī vēnimus, nec quidquam famulī tuī māchinantur malī. Quibus ille respondit: Aliter est: ad explōranda immūnīta terrae huius vēnistis. At illī: Duodecim, inquiunt, servī tuī frātrēs sumus, fīliī virī ūnīus in terrā Chanaān: minimus cum patre nostrō est, alius fīlius nōn superest. Hoc est, ait, quod locūtus sum; explōrātōrēs estis. Iam nunc experīmentum vestrī capiam; nōn ēgrediēminī hinc, dōnec veniat frāter vester minimus. Mittite ex vōbīs ūnum, et addūcat eum: vōs autem eritis in vinculīs, dōnec utrum vēra an falsa sint quae dīxistis compererim: aliōquin, certē explōrātōrēs estis. Trādidit deinde illōs custōdiae.

aliter “Rēs tamen omnīnō aliter ēvēnit atque illa spērāverat.” (Fabulae faciles 98)

immūniō < in + mūnīre

explōrātor “Creōn adventum eius per explōrātōrēs cōgnōvit.” (Fabulae faciles 17)

comperiō “Quae habenda esset Isaiae verbīs fidēs, statim compertum est.” (Heuzet, Selectae VT II 70)

aliōquī “Quō erās aliōquī itūrus?” (Vives, Exercitatio 1)

22

REVERTUNTUR AD PATREM, SIMEONE RELICTO IN VINCULIS

¶ Diē tertiō ēductīs dē carcere frātribus dīxit Iōsēphus. Facite quae dīxī, et vīvētis, Deum enim timeō. Sī pācificī

estis, ūnus ē vōbīs ligētur in carcere, caeterī autem abīte; et ferte frūmenta quae ēmistis ad expellendam famem ē familiā vestrā. Frātrem vērō vestrum minimum ad mē addūcite, ut possim sermōnum vestrōrum vēritātem explōrāre, et nōn moriāminī. Pollicitī sunt illī factūrōs quae iubēbat Iōsēphus et inter sē colloquentēs dīxērunt alter alterī. Meritō haec patimur, quia peccāvimus in frātrem nostrum, videntēs angōrem animī eius, dum dēprecārētur nōs, et nōn audīvimus. Idcircō vēnit super nōs ista calamitās.

expellō "Et statim Spīritus expulit eum in dēsertum." (Marcus 1, 9–13)

colloquor < con- + loquī

Ē quibus ūnus Ruben dīxit: Numquid nōn dīxī vōbīs: Nōlīte peccāre in puerum, et nōn audīstis mē? ēn sanguis eius ā nōbīs exquīritur. Nesciēbant autem quemcumque dīcerent intelligī ā Iōsēphō eō quod per interpretem ad eōs loquerētur. Āvertitque ille sē parumper, et flēvit. Mox reversus, vinxit Simeōnem, illīs praesentibus, iussitque ministrōs implēre eōrum saccōs trīticō, et repōnere pecūniās singulōrum in saccō cuiusque datīs praetereā cibāriīs in viam. Impositō asinīs suīs frūmentō profectī sunt frātrēs Iōsēphī. Apertōque ūnus sacculō, ut daret iūmentō pābulum in dīversōriō, vīdit pecūniam in ōre sacculī, et mīrāns dīxit frātribus suīs. Reddita est mihi pecūnia, ēn est in saccō. Tum vērō obstupefactī turbātīque, mūtuō dīxērunt.

exquīrō < ex + quaerere

repōnō < re- + pōnere

cibārius < cibus

sacculus < saccus

Quidnam est hoc quod fēcit nōbīs Deus? Vēnēruntque ad Iācōbum patrem suum in terram Chanaān, et nārrāvērunt omnia quae accidissent sibi, dīcentēs: Dūrīs nōs verbīs compellāvit Aegyptī Praefectus, et nōs explōrātōrēs esse dīxit. Cui respondimus: Pācificī sumus, nec ūllās mōlīmur īnsidiās. Duodecim frātrēs ūnō patre genitī sumus: ūnus nōn superest, minimus cum patre nostrō est in terrā Chanaān. Quī respondit nōbīs: sīc experiar pācificī ne sītis et vērācēs: ūnum aliquem ē frātribus relinquite apud mē, et cibāria domibus vestrīs necessāria sūmite, et abīte. Frātremque vestrum minimum addūcite ad mē.

experior "Id tē experīrī licet." (Heuzet, Selectae e profanis 3.76)

vērax = vērus

Tum sciam vōs explōrātōrēs nōn esse, et illum, quī retentus in vinculīs fuerit, recipere poteritis, ac deinceps licentiam habēbitis emendī quae volueritis. Hīs dictīs cum

licentia = libertās

frūmenta effunderent, singulī reperērunt in ōre saccōrum ligātās pecūniās, exterritīsque simul omnibus, dīxit pater Iācōbus: Absque līberīs mē esse fēcistis: Iōsēphus nōn extat: Simeōn tenētur in vinculīs, et Beniaminum auferētis: in mē haec omnia mala recidērunt. Cui respondit Ruben: Duōs fīliōs meōs interfice, sī nōn redūxerō Beniaminum tibi: trāde illum in manum fidemque meam, et ego eum tibi restituam. At ille: Nōn dēscendet, inquit, fīlius meus vōbīscum: frāter eius mortuus est, et ipse sōlus remānsit ē fīliīs Rachēlis. Sī quid eī adversī acciderit in terrā eā ad quam pergitis; dēdūcētis cānōs meōs cum dolōre ad tumulum.

exstō < ex + stāre

recidō < re- + cadere

23

REDEUNT IN AEGYPTUM FILII IACOBI CUM BENIAMINO

¶ Interim famēs omnem terram vehementer premēbat, cōnsūmptīsque cibīs quōs ex Aegyptō dētulerant fīliī Iācōbī: dīxit illī pater. Revertiminī et emite nōbīs pauxillum escārum. Respondit Iūdās: Dēnūnciāvit nōbīs, et adhibitō iūreiūrandō dīxit vir ille quī tōtō Aegyptō praeest, nōn vidēbitis faciem meam, nisi frātrem vestrum minimum addūxeritis vōbīscum: Sī ergō vīs eum mittere nōbīscum, ūnā ībimus et emēmus tibi necessāria: sī autem nōn vīs, nōn revertēmur in Aegyptum. Dīxit eīs Israēl: In meam hoc fēcistis miseriam, ut indicārētis eī, et alium habēre vōs frātrem. At illī respondērunt: interrogāvit nōs homō per ōrdinem dē nostrā prōgeniē: an pater vīveret? aliquem praetereā frātrem habērēmus? et nōs ad singulōs quae fuerat sciscitātus, respondimus.

interim = intereā

miseria < miser

prōgeniēs “Populus iste ex prōgeniē Chaldaeōrum est.” (Iudith 5, 5–9)

Numquid scīre poterāmus eum dictūrum esse: addūcite frātrem vestrum vōbīscum? Iūdās quoque dīxit patrī suō: Mitte puerum mēcum, ut proficīscāmur, et possīmus vīvere, et nōn moriāmur nōs, et parvulī nostrī. Ego suscipiō puerum: ā mē requīre illum. Nisi redūxerō, et reddiderō eum tibi, erō peccātī reus in tē omnī tempore. Sī Beniaminum statim dīmittere voluissēs, iam secundō rediissēmus. Igitur pater eōrum dīxit: Sī sīc necesse est, facite quod vultis. Sūmite

reus “Quid dīcam reus, et omnī cōnfūsiōne plēnus?” (De imitatione Christi 3, 52)

ex optimīs huius terrae fructibus, et dēferte virō mūnera, modicum rēsīnae, et mellis, et storacis, stactēs, et terebinthī, et amygdalārum. Pecūniam quoque duplicem ferte vōbīscum: et illam quam invēnistis in sacculīs, reportāte, nē forte errōre factum sit.

rēsīna "Numquid rēsīna nōn est in Galaad?" (Ieremias 8, 19–22)

reportō < re- + portāre

Sed et frātrem vestrum tollite, et īte ad virum. Deus autem meus omnipotēns faciat vōbīs eum plācābilem, et remittat vōbīscum frātrem vestrum, quem tenet: ego autem quasi orbātus absque līberīs erō. Tulērunt ergō virī mūnera dēferenda ad Iōsēphum, et pecūniam duplicem, et Beniaminum: dēscendēruntque in Aegyptum; et stetērunt cōram Iōsēphō.

orbō "Erat enim Antigonus ūnō orbātus oculō." (Heuzet, Selectae e profanis 5.33)

24

IOSEPHUS REVERSOS FRATRES CUM BENIAMINO EXCIPIT CONVIVIO

¶ Cum frātrēs vīdisset Iōsēphus et Beniaminum simul, haec praecēpit dispēnsātōrī domūs suae. Intrōdūce virōs domum, et īnstrue convīvium, quoniam mēcum sunt comestūrī merīdiē. Fēcit ille quod sibi fuerat imperātum, et intrōdūxit virōs domum. Ibique exterritī, dīxērunt mūtuō: Propter pecūniam, quam retulimus prius in saccīs nostrīs, intrōductī sumus: haec in nōs dēvolvitur calumnia ut subiiciāmur servitūtī, et nōs et asinī nostrī. Quamobrem in ipsīs foribus accēdentēs ad dispēnsātōrem domūs, dīxērunt: Ōrāmus domine, ut audiās nōs. Iam ante dēscendimus hūc ut emerēmus escās: quibus emptīs, cum vēnissēmus ad dīversōrium, aperuimus saccōs nostrōs, et invēnimus pecūniam in ōre saccōrum, quam nunc eōdem pondere reportāvimus.

dispēnsātor "Hīc iam quaeritur inter dispēnsātōrēs ut fidēlis quis inveniātur." (I ad Corinthios 4, 1–7)

Sed et aliud attulimus argentum, ut emāmus quae nōbīs necessāria sunt: priōrem vērō pecūniam quis reposuerit in sacculis nostrīs omnīnō nescīi sumus. At ille respondit: Pāx vōbīscum, nōlīte timēre Deus vester, et Deus Patris vestrī dedit vōbīs thēsaurōs in saccīs vestrīs. Nam pecūnia vestra ad mē pervēnit. Ēdūxitque ad eōs Simeōnem. Et intrōductīs domum, attulit aquam et lāvērunt pedēs suōs, deditque pābulum asinīs eōrum. Illī vērō parābant mūnera,

dōnec ēgrederētur Iōsēphus merīdiē: audierant enim sē ibi convīviō excipiendōs. Igitur ingressus est Iōsēphus domum suam, obtulēruntque eī frātrēs suī mūnera, et adōrāvērunt prōnī in terram.

At ille clēmenter eōs resalūtāvit, interrogāvitque dīcēns: Salvus ne est senex ille, quem vōs patrem vōbīs esse mihi dīxistis? adhūc vīvit? Quī respondērunt. Sospes est servus tuus pater noster, adhūc vīvit. Et incurvātī adōrāvērunt eum. Attollēns autem Iōsēphus oculōs, vīsō Beniamino frātre suō uterīnō dīxit: Iste est frāter vester parvulus, quem domī remānsisse apud patrem dīxerātis mihi? Et rūrsum. Deus, inquit, misereātur tuī, fīlī mī. Festīnāvitque abīre ā cōnspectū frātrum: quia commōta fuerant viscera eius ergā frātrem suum: et ērumpēbant lacrymae: et introiēns cubiculum, flēvit. Rūrsumque lōtā faciē ēgressus, continuit sē, et dīxit: Pōnite pānēs. Quibus appositīs, sēdērunt frātrēs cōram Iōsēphō secundum suam quisque aetātem, et cum singulī cibōrum appositōrum partem accēpissent ā Iōsēphō, quīntuplō maior erat ea pars quae vēnit Beniamino.

clēmenter "Vīve cum servō clēmenter." (Heuzet, Selectae e profanis 3.26)
resalūtō < re- + salūtāre

incurvō "Et appropinquantēs ancillae et fīliī eārum, incurvātī sunt." (Genesis 33, 1–6)

viscera "Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?" (Iob 38, 32–41)

25

SCYPHUS IOSEPHI IN SACCO BENIAMINI DEPREHENDITUR

¶ Praecēpit deinde haec Iōsēphus dispēnsātōrī domūs suae. Implē saccōs virōrum illōrum frūmentō, quantum possunt capere, et pōne pecūniam singulōrum in summō cuiusque saccō. Scyphum autem meum argenteum pōne in ōre saccī iūniōris; et trīticī pretium quod dedit. Factumque est ita: et ortō sōle dīmissī sunt cum asinīs suīs. Iamque ex urbe exierant, et prōcesserant paululum, cum Iōsēphus accersītō dispēnsātōre domūs: Surge, inquit, et persequere virōs: et cum assecūtus fueris eōs, dīcitō. Quārē reddidistis malum prō bonō? Scyphus quem fūrātī estis: ipse est in quō bibit dominus meus, et quō utī ad augurandum solet: pessimam rem fēcistis.

Fēcit ille ut iusserat Iōsēphus, et cum eōs assecūtus esset, cuncta quae mandāta erant, eō ōrdine locūtus est.

scyphus = calix

paululum "Cumque paululum recessisset ab eō, invēnit eum leō, atque percussit." (III Regum 20, 35–38)
arcessō "Rēx arcessīvit Iosēphum, eīque narrāvit utrumque somnium." (Epitome Historiae Sacrae 52)
assequor < ad + sequī
augurō "Nōn augurābiminī, nec observābitis somnia." (Leviticus 19, 24–32)

Quī respondērunt. Quārē sīc loquitur dominus noster? absit hoc ut servī tuī tantum flāgitiī commīserint. Pecūniam, quam invēnimus in summō saccōrum, reportāvimus ad tē dē terrā Chanaān. Et quōmodo fierī potest, ut fūrātī sīmus dē domō dominī tuī aurum vel argentum? apud quemcumque servōrum tuōrum inventum fuerit id quod quaeris, moriātur: et nōs erimus servī dominī nostrī. Quī dīxit eīs: Fīat sīcutī vōsmetipsī cēnsētis: apud quem fuerit inventum, ipse sit servus meus, vōs autem eritis innoxiī. Itaque festīnanter dēpōnentēs in terram saccōs, aperuērunt singulī. Quōs ille scrūtātus, incipiēns ā māximō usque ad minimum, invēnit scyphum in saccō Beniamini. At illī scissīs vestibus, onerātīs que rūrsum asinīs, reversī sunt in oppidum.

cēnseō "Sed tū adolēscēns, quō tē nunc tandem nōmine cēnsēs appellandum?" (Vives, Exercitatio 24)

scrūtor "Quis poterit scrūtārī viās eius?" (Iob 36, 20–33)

onerō cf. onus

26

IUDAS OFFERT SE IN SERVITUTEM PRO BENIAMINO

¶ Iūdās prīmum cum frātribus vēnit in cōnspectum Iōsēphī, omnēsque cōram eō pariter in terram corruērunt. Quibus ille dīxit. Cūr sīc agere voluistis? an īgnōrātis quod nōn sit similis meī in dīvīnandī scientiā? cui Iūdās: Quid respondēbimus, inquit; dominō meō? vel quid loquēmur, aut iūstē poterimus obtendere? Deus invēnit unde pūnīret inīquitātem servōrum tuōrum. Ēn omnēs servī sumus Dominī meī; et nōs et apud quem inventus est scyphus. Respondit Iōsēphus: Absit ā mē ut sīc agam: quī fūrātus est scyphum, ipse sit servus meus; vōs autem abīte līberī ad patrem vestrum. Accēdēns autem propius Iūdās, cōnfīdenter dīxit: Ōrō, domine mī, servō tuō tē alloquentī aurēs praebē, et nē īrāscāris famulō tuō.

dīvīnō cf. dīvīnus

iūstē < iūstus

obtendō < ob + tendere

Interrogāstī prius servōs tuōs; habētis patrem, aut frātrem? Et nōs respondimus tibi dominō meō. Est nōbīs pater senex, et puer parvulus, quī in senectūte illīus nātus est, cuius uterīnus frāter mortuus est; relictusque est ipse sōlus ex mātre suā, pater vērō tenerē dīligit eum. Dīxistīque servīs tuīs: addūcite eum ad mē, ut videam eum. Respōnsum ā nōbīs est dominō meō: Nōn potest puer relinquere patrem suum: sī enim hunc fīlium dīmīserit, moriētur. Et dīxistī servīs tuīs: Nisi vēnerit frāter vester minimus vōbīscum, nōn

vidēbitis amplius faciem meam. Cum ergō ascendissēmus ad famulum tuum patrem nostrum, nārrāvimus eī omnia, quae locūtus erat dominus meus.

Et dīxit pater noster: revertiminī, et emite nōbīs parum trīticī. Cui dīximus: īre nōn possumus: sī frāter noster minimus dēscenderit nōbīscum, proficīscēmur simul: aliōquin, illō absente, vidēre nōn audēmus faciem virī. Ad quōs ille respondit; vōs scītis duōs genitōs mihi ab uxōre meā Rachēle; ā mē in agrōs ēgressus est ūnus; et dīxistis; bestia dēvorāvit eum: et hūcusque nōn compāret. Sī tuleritis et istum, et aliquid et eī in viā contigerit, dēdūcētis cānōs meōs cum maerōre ad tumulum.

hūcusque = adhūc

Igitur sī vēnerō in cōnspectum servī tuī patris nostrī, et puer dēfuerit, vīderitque eum nōn esse nōbīscum: cum anima illīus ex huius animā pendeat, moriētur, et dēdūcent famulī tuī cānitiem eius cum dolōre ad sepulchrum. Ego propriē servus tuus sum, quī in meam hunc recēpī fidem, et spopondī dīcēns: nisi redūxerō eum, peccātī reus erō in patrem meum omnī tempore. Remaneat itaque; quaesō, servus tuus prō puerō, ut ministret dominō meō, et puer redeat cum frātribus suīs. Nōn enim possum revertī ad patrem meum, absente puerō: nē calamitātis quae oppressūra est patrem meum, testis assistam.

moeror "Tunc frātrēs Iosēphi moerōre oppressī revertuntur in urbem." (Epitome Historiae Sacrae 67)

pendeō "In hīs duōbus mandātīs ūniversa lēx pendet, et prophētae." (Matthaeus 22, 34–40)

propriē < proprius

spondeō = polliceor

assistō "Ecce iūdex ante iānuam assistit." (Iacobi 5, 7–12)



27

IOSEPHUS SE FRATRIBUS AGNOSCENDUM PRAEBET

¶ Nōn sē poterat ultrā cohibēre Iōsēphus, multīs cōram astantibus: unde praecēpit: ut ēgrederentur cunctī forās, et nūllus interesset aliēnus āgnitiōnī mūtuae. Ēlevāvitque vōcem cum flētū, et dīxit frātribus suīs. Ego sum Iōsēphus: adhūc pater meus vīvit? Nōn poterant respondēre frātrēs nimiō terrōre perterritī. Quibus ille clēmenter: Accēdite, inquit, ad mē. Et cum accessissent prope: Ego sum, ait, Iōsēphus frāter vester, quem vendidistis in Aegyptum. Nōlite pavēre, neque moerōre cōnficiāminī, quod mē in hās regiōnēs dēdūcendum vendidistis, prō salūte enim vestrā mīsit mē Deus ante vōs in Aegyptum.

Et quidem iam biennium famēs est in terrā: et adhūc quīnque annī restant, quibus nec arārī poterit, nec metī: praemīsitque mē Deus, ut salvī fiātis, et escās ad vīvendum habēre possītis: Nōn vestrō cōnsiliō, sed Deī voluntāte hūc missus sum, quī fēcit mē quasi patrem Pharaōnis et dominum ūniversae domūs eius, ac Prīncipem in omnī terrā Aegyptī.

cohibeō < con- + habēre

astō < ad + stāre

intersum "Centuriō est quī bellīs multīs interfuit." (Puer Romanus 34)

āgnitiō < āgnōscere

restō < re- + stāre

metō "Quae enim sēmināverit homō, haec et metet." (Ad Galatas 6, 1–10)

praemittō < prae + mittere

Festīnāte, ascendite ad patrem meum et dīcite eī, haec mandat filius tuus Iōsēphus: Deus fēcit mē dominum ūniversae terrae Aegyptī: dēscende ad mē, nē morēris, et habitābis in Gessen: et eris iuxtā mē tū, fīliī tuī, et fīliī fīliōrum tuōrum, ovēs tuae, armenta, et ūniversa quae possidēs, ibi tē pāscam, nē et tū pereās, et domus tua, et omnia quae possidēs: adhūc enim quīnque annī residuī sunt famis. Ēn oculī vestrī et oculī frātris meī Beniamini, vident mē ipsum vōs alloquentem. Nūnciāte patrī meō ūniversam glōriam meam, et cuncta quae vīdistis in Aegyptō, festīnāte, et addūcite eum ad mē. Cumque amplexātus frātrem Beniaminum, recidisset in collum eius, flēvit: illō quoque similiter flente super collum eius. Ōsculātusque est Iōsēphus omnēs frātrēs suōs, et plōrāvit super singulōs; et posteā ausī sunt cum eō colloquī.

residuus = reliquus

plōrō "Maria autem stābat ad monumentum foris, plōrāns." (Ioannes 20, 11–16)

28

IUBET PHARAO ADDUCI IACOBUM IN AEGYPTUM CUM UNIVERSA DOMO

¶ Audītum est, et sermōne vulgātum in rēgiā domō. Vēnērunt frātrēs Iōsēphī. Et gāvīsus est Pharao atque omnis domus eius. Mandāvitque Rēx Iōsēphō, ut haec suō nōmine frātribus imperāret: Onerantēs iūmenta, īte in terram Chanaān, ēdūcite inde patrem vestrum, et cōgnātiōnem, et venīte ad mē, et ego dabō vōbīs omnia bona Aegyptī, et comedātis medullam terrae. Accipite plaustra ē terrā Aegyptī, ad subvectiōnem parvulōrum vestrōrum ac coniugum. Addūcite patrem vestrum, et properāte quantōcyus venientēs. Nec multum cūrētis suppellectilem vestram: quia omnēs opēs Aegyptī vestrae erunt. Fēcēruntque fīliī Israēlis, ut eīs mandātum fuerat. Quibus dedit Iōsēphus plaustra ut iusserat Pharao, et cibāria in itinere.

plaustrum "Et plaustrum vēnit in agrum Iosue Bethsamītae, et stetit ibi." (I Regum 6, 14–18)

coniunx "Habēbis, inquit, fīlium ex Sāra coniuge tuā." (Epitome Historiae Sacrae 17)

Singulīs quoque afferrī iussit bīnās stolās; Beniamino autem, dedit trecentōs nummōs argenteōs, cum quīnque stolīs optimīs. Tantumdem pecūniae: et vestium mīsit patrī suō: addidit et asinōs decem, quī subveherent ex omnibus dīvitiīs Aegyptī, et totidem asinōs trīticum et cibōs

nummus "Patruō meō māgnus numerus est nummōrum Rōmānōrum." (Ora maritima 3)

portantēs. Dīmīsit deinde frātrēs suōs, et proficīscentibus dīxit: Nē īrāscāminī in viā. Hī ascendentēs ex Aegyptō, vēnērunt in terram Chanaān ad patrem suum Iācōbum, dīxēruntque: Iōsēphus fīlius tuus vīvit: et ipse dominātur in terrā Aegyptī. Quō audītō Iācōbus, quasi ē gravī somnō ēvigilāvit, neque tamen crēdēbat fīliīs tālia nārrantibus. Illī contrā referēbant omnem ōrdinem reī. Cum autem vīdisset plaustra, et ūniversa quae mīserat Iōsēphus revīxit spīritus eius, et dīxit: Sufficit mihi sī adhūc fīlius meus Iōsēphus vīvit: vādam, et vidēbō illum antequam moriar.

revīvō < re- + vīvere



29

PATRI AEGYPTUM INGREDIENTI OCCURRIT IOSEPHUS

¶ Profectus Israēl cum omnibus quae habēbat, vēnit ad puteum iūrāmentī: et mactātīs ibi victimīs Deō patris suī Isaacī, audīvit eum per vīsiōnem noctis vocantem sē, et dīcentem sibi: Iācōbe, Iācōbe. Cui respondit. Ecce adsum. Tum illī dīxit Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tuī: nōlī timēre, dēscende in Aegyptum, quia faciam ut in gentem māgnam ibi crēscās. Ego dēscendam tēcum illūc. Et ego inde addūcam tē revertentem. Iōsēphus quoque pōnet manūs suās super oculōs tuōs. Surrēxit Iācōbus ā puteō iūrāmentī; tulēruntque eum fīliī cum parvulīs, et uxōribus suīs in plaustrīs quae mīserat Pharao ad portandum senem, et omnia quae possēderat in terrā Chanaān.

mactō = immolō

revertō < re- + vertere

Vēnit ergō in Aegyptum ipse, nepōtēs, fīliae, et cuncta simul prōgeniēs. Mīsit autem Iācōbus Iūdam ante sē ad Iōsēphum, ut nūnciāret eī adventum suum: et ille occurreret sibi in Gessen. Quō cum pervēnisset Iācōbus, Iōsēphus

iūnctīs ad currum suum equīs ascendit obviam patrī suō ad eumdem locum; vidēnsque eum, irruit super collum eius et inter amplexūs flēvit. Dīxitque pater Iōsēphō fīliō suō: Iam laetus moriar, quia vīdī faciem tuam: et superstitem tē relinquō.

laetus "Sed Rōmam tandem laetī pervēnimus." (Puer Romanus 5)

At ille patrī, et frātribus dīxit: Adventum vestrum nūnciābō Pharaōnī, dīcamque eī: frātrēs meī, et domus patris meī, quī erant in terrā Chanaān, vēnērunt ad mē, et sunt virī pāstōrēs ovium: cūramque habent alendōrum gregum: pecora sua et armenta, et omnia quae habēre potuērunt, addūxērunt sēcum. Cumque vocāverit vōs et dīxerit: quod est opus vestrum? Respondēbitis: Virī pāstōrēs sumus servī tuī, ab īnfantiā nostrā usque in praesēns: et nōs et patrēs nostrī. Haec autem dīcētis, ut habitāre possītis in terrā Gessen: quia dētestantur Aegyptiī omnēs pāstōrēs ovium.

30

TERRA GESSEN CONCEDITUR HABITANDA IACOBO ET FILIIS

¶ Accēdēns deinde Iōsēphus ad Pharaōnem, dīxit Pater meus, et frātrēs, ovēs eōrum et armenta: et cuncta quae possident, vēnērunt dē terrā Chanaān: et ecce cōnsistunt in terrā Gessen. Deinde quīnque ē frātribus suīs cōnstituit cōram Rēge: quōs ille interrogāvit Quid habētis operis? Respondērunt: Pāstōrēs ovium sumus servī tuī, et nōs, et patrēs nostrī. Ad hospitandum aliquandiū in terrā tuā vēnimus: quoniam nōn est herba in terrā Chanaān: petimusque ut esse nōs iubeās servōs tuōs in terrā Gessen. Dīxit itaque Rēx Iōsēphō: Pater tuus, et frātrēs tuī vēnērunt ad tē. Terra Aegyptī in cōnspectū tuō est: cūra ut in optimō locō habitent; et trāde eīs terram Gessen.

aliquamdiū "Ptolemaeus, rēx Aegyptī, aliquandiū cum laude imperāvit." (Heuzet, Selectae e profanis 4.33)

Quod sī nōstī in eīs esse virōs industriōs, cōnstitue illōs magistrōs pecorum meōrum. Post haec intrōdūxit Iōsēphus patrem suum ad Rēgem, et statuit eum cōram ipsō. Iācōbus Rēgem salūtāvit, eīque fausta precātus est, atque interrogātus ab eō: Quot sunt diēs annōrum vītae tuae? Respondit: diēs peregrīnātiōnis meae centum trīgintā

quot "Quot sunt diēs servī tuī?" (Psalmus 118, 76–85)

annōrum sunt, paucī et malī, et nōn pervēnērunt usque ad diēs patrum meōrum quibus peregrīnātī sunt. Et cum Rēgem salūtāsset, ēgressus est forās. Iōsēphus vērō patrī, et frātribus suīs dedit possessiōnem in Aegyptō, in optimā terrae parte, ut praecēperat Pharao. Et alēbat eōs, omnemque domum patris suī praebēns cibāria singulīs. In tōtō enim orbe pānis dēerat, et oppresserat famēs terram, māximē Aegyptī, et Chanaān.

31

IACOBUS POSTULAT UT SEPELIATUR IN SEPULCHRO PATRUM

¶ Vīxit Iācōbus in Aegyptō decem, et septem annīs: et omnis vīta illīus centum quadrāgintā septem annōs complexa est. Cumque appropinquāre cerneret diem mortis suae; vocāvit fīlium suum Iōsēphum, dīxitque eī: Sī invēnī grātiam in cōnspectū tuō, iūrā tē certissimē id factūrum, ut nōn sepeliās mē in Aegyptō, sed dormiam cum patribus meīs, et auferās mē ē terrā hāc, condāsque in sepulchrō maiōrum meōrum. Cui respondit Iōsēphus: ego faciam quod iussistī. Et ille: iūrā ergō, inquit, mihi. Quō iūrante, Israēl adōrāvit Deum.

32

MINOREM FILIORUM IOSEPHI MAIORI PRAEPONIT MORIENS IACOBUS

¶ Hīs trānsactīs, cum nūntiātum esset Iōsēphō aegrōtāre patrem suum, perrēxit ad eum assūmptīs sēcum duōbus fīliīs Mānāsse, et Ephraimō. Quōs vidēns Iācōbus, dīxit. Quī sunt istī? Oculī enim illīus cālīgābant prae nimiā senectūte, et clārē vidēre nōn poterat. Respondit Iōsēphus: Fīliī meī sunt; quōs dōnāvit mihi Deus in hōc locō. Addūc, inquit, eōs ad mē, ut benedīcam illīs. Applicātōsque ad sē deōsculātus, et circumplexus eōs, dixit fīliō: Nōn sum fraudātus aspectū tuō: īnsuper ostendit mihi Deus sēmen tuum. Cumque tulisset eōs Iōsēphus ē gremiō patris, adōrāvit prōnus in terram. Et posuit Ephraimum ad sinistram Israēlis, Mānassēn vērō ad dexteram, applicuitque ambōs ad eum.

aegrōtō "In tempore illō aegrōtāvit Abīa fīlius Ieroboam." (III Regum 14, 1–4)

fraudō = dēcipiō

At Iācōbus commūtāns manūs, extēnsam dexteram posuit super caput Ephraimī minōris frātris: sinistram autem super caput Mānassae, quī maior nātū erat: Tum benedīcēns utrīque, dīxit: Deus, in cuius cōnspectū, ambulāvērunt patrēs meī Abrahamus, et Isaacus, Deus, quī pāscit mē ab adolēscentiā meā usque in praesentem diem, Angelus quī ēruit mē dē cunctīs malīs, benedīcat puerīs istīs, et crēscant in multitūdinem super terram. Vidēns autem Iōsēphus positam fuisse ā patre suō dexteram manum super caput Ephraimī, graviter id accēpit: et apprehēnsam manum patris levāre cōnātus est, ac trānsferre super caput Mānassae, dīxitque patrī; Nōn ita convenit, pater, quia hic est prīmōgenitus, pōne dexteram tuam super caput eius.

commūtō < con- + mūtāre

cōnor "Cōnandum est ut efficiāmur similēs Deō, quantum licet hominī." (Heuzet, Selectae e profanis 1.7)

Quī renuēns, respondit: Sciō, fīlī mī, sciō, et iste quidem multiplicābitur: sed frāter eius minor maior erit illō: et sēmen illīus crēscet in gentēs. Cōnstituitque Iācōbus Ephraimum ante Mānassēn, et dīxit Iōsēphō fīliō suō; Ēn ego morior: et erit Deus vōbīscum, redūcetque vōs ad terram patrum vestrōrum. Vocāvit deinde duodecim fīliōs suōs, benedīcēnsque singulīs eōrum benedictiōnibus propriīs praedīxit inter caetera, nāscitūrum aliquandō ē Iūdā Messīān hīs verbīs; Nōn auferētur sceptrum ē Iūdā, nec dux ē prōgeniē eius dōnec veniat quī mittendus est: et ipse erit expectātiō gentium. Et obiit.

renuō = negō

sceptrum "Accēde igitur, et tange sceptrum." (Esther 15, 10–15)
exspectātiō < exspectāre
obeō < ob + īre

33
SEPELITUR IACOBUS IN TERRA CHANAAN

¶ Extinctum patrem cernēns Iōsēphus, super faciem eius ruit flēns, et deōsculāns eum. Praecēpitque servīs suīs medicīs, ut arōmatibus condīrent illum. Deinde explētō luctūs tempore, omnēs fīliī Iācōbī, comitantibus multīs Aegyptiīs patrem dēportārunt in terram Chanaān. Ibi celebrantēs exequiās planctū māgnō atque vehementī, sepeliērunt eum in spēluncā quam ōlim ēmerat Abrahamus ab Ephrōne Hebraeō. Reversusque est Iōsēphus in Aegyptum cum frātribus suīs, et omnī comitātū, sepultō patre.

medicus "Salūtat vōs Lūcās, medicus cārissimus, et Dēmās." (Ad Colossēnsēs 4, 10–18)
expleō = repleō
luctus < lūgēre
comitō < cum + īre
dēportō < dē + portāre
planctus "Planctus est, et erit in planctum." (Ezechiel 19, 12–14)

34

FRATRES CONSOLATUR IOSEPHUS, ET MORITUR

¶ Mortuō Iācōbō, timentēs sibi frātrēs Iōsēphī mūtuō collocūtī sunt: Cavendum est nē forte Iōsēphus memor sit iniūriae quam passus est, et reddat nōbīs omne malum quod fēcimus eī. Mīsērunt itaque quī eōrum nōmine dīcerent. Pater tuus praecēpit nōbīs, antequam morerētur, ut haec tibi verba illīus dīcerēmus: Obsecrō ut oblīvīscāris sceleris frātrum tuōrum, et malitiae quam exercuērunt in tē: nōs quoque ōrāmus ut servīs Deī patris tuī dīmittās inīquitātem hanc. Quibus audītīs flēvit Iōsēphus. Vēnēruntque ad eum frātrēs eius, et prōnī adōrantēs in terram dīxērunt: Servī tuī sumus.

Quibus ille respondit: Nōlīte timēre, Num Deī possumus resistere voluntātī? vōs cōgitāstis adversum mē malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltāret mē, sīcut nunc cernitis et salvōs faceret multōs populōs. Nōlīte timēre, ego pāscam vōs, et parvulōs vestrōs. Cōnsōlātusque est eōs, et blandē ac lēniter est locūtus; et habitāvit in Aegyptō cum omnī domō patris suī. Mortī proximus, convocātīs frātribus dīxit: Post mortem meam Deus vīsitābit vōs, et ē terrā hāc dēdūcet vōs in illam terram quam iūrandō prōmīsit Abrahamo, Isaacō, et Iācōbō. Asportāte ossa mea vōbīscum ex hōc locō. Mortuus deinde est, explētīs centum et decem annīs; Et conditus arōmatibus repositus est in loculō in Aegyptō.

loculus < locus



35

OPPRIMUNTUR ISRAELITAE AB AEGYPTIIS, NASCITUR MOSES

¶ Mortuō Iōsēphō, et ūniversīs frātribus eius, omnīque cōgnātiōne illā, Isrāēlītae mīrum in modum multiplicātī sunt, et terram Aegyptī implēvērunt. Exortus intereā Rēx novus in Aegyptō, quī immemor beneficiōrum Iōsēphī, dīxit Aegyptiīs: Ecce Populus fīliōrum Israēlis multus, et fortior nōbīs est. Venīte, sapienter opprimāmus eum, nē forte nimis multiplicētur, et sī ingruerit contrā nōs bellum, addātur inimīcīs nostrīs, expūgnātīsque nōbīs, ēgrediātur ex hāc terrā. Praeposuit itaque eīs magistrōs labōrum, quī male habēbant eōs, et amāram illīs ac gravem efficiēbant vītam operibus dūrīs lutī, et lateris, oneribus gravissimīs, et omnī generī famulātū. Et coāctī sunt aedificāre aliquās urbēs Pharaōnī. Sed quantō magis opprimēbant eōs Aegyptiī, tantō magis multiplicābantur, et crēscēbant.

Praecēpit ergō Pharao obstetrīcibus Hebraeīs, ut quandō mulieribus Hebraeīs parientibus adessent, marem quemlibet nāscentem interficerent, faeminam vērō servārent. At illae

obstetrīx “Et quia timuērunt obstetrīcēs Deum, aedificāvit eīs domōs.” (Exodus 1, 16–22)
quilibet = quicumque

timentēs Deum, nōn fēcērunt, sīcutī praeceptum fuerat ā Rēge, et ideō benefēcit illīs Deus. Crēvit populus Israēlis et rōborātus est vehementer. Dēnique omnī populō suō imperāvit Pharao, ut quidquid masculīnī sexūs nāscerētur apud fīliōs Isrāēlītās, in Nīlum flūmen proiicerētur statim, quidquid faeminīnī reservārētur. Tunc mulier nōmine Iochabed, uxor virī ē Tribū Lēvī, cui nōmen erat Amramus, peperit fīlium: et vidēns eum ēlegantem, abscondit tribus mēnsibus; Dumque iam cēlāre nōn posset, sūmpsit fiscellam scirpeam, et linīvit eam bitūmine, ac pice.

benefaciō < bene + facere

dēnique = tandem

reservō "Posuitque illud Aarōn in tabernāculō reservandum." (Exodus 16, 33–36)

cēlō "Quis est iste quī cēlat cōnsilium absque scientiā?" (Iob 42, 1–6)

Deinde posuit intus īnfantulum, et exposuit eum inter arundinēs rīpae flūminis, stante procul sorōre, et expectante ēventum reī. Ecce autem dēscendit fīlia Pharaōnis, ut lavārētur in flūmine, et puellae eius gradiēbantur per crepīdinem alveī. Quae cum vīdisset fiscellam in arundinibus haerentem, mīsit ūnam ē famulābus suīs; et illam aperiēns, cernēnsque in eā parvulum vāgientem, miserta illīus est; dīxitque. Ūnus ex īnfantibus Hebraeōrum est hic. Cui soror puerī. Vīs, inquit, ut vādam, et vocem tibi mulierem Hebraeam, quae nūtrīre possit īnfantulum? Respondit: Vāde. Perrēxit puella et vocāvit mātrem suam. Cui fīlia Pharaōnis: Accipe, ait, puerum istum, et nūtrī mihi. Ego dabō tibi mercēdem tuam. Suscēpit mulier et nūtrīvit puerum, adultumque trādidit fīliae Pharaōnis. Quem illa adoptāvit prō fīliō, et voluit ut vocārētur Mōsēs, id est, servātus ab aquīs.

īnfantulus < īnfāns

crepīdō = basis

adoptō < ad + optāre



36

AGNI PASCHALIS IMMOLANDI RITUS

¶ Profugus ex Aegyptō Mōsēs pāscēbat ovēs Iethronis socerī suī in dēsertō Madian prope montem Horebum. Appāruit eī Dominus ē mediō rubī quī ardēbat, nec tamen combūrēbātur deditque illī mandāta ad Pharaōnem Aegyptiōrum Rēgem perferenda. Quibus cum nōn pāruisset Rēx impius, et tam indūrātum esset cor eius; post gravissimās novem plāgās, quibus eius rēgnum iam percussum fuerat, nōndum tamen voluerit Isrāēlītās dīmittere; dīxit igitur Dominus Mōsī: Adhūc ūnā plāgā tangam Pharaōnem et Aegyptum, et post haec dīmittet vōs, et exīre compellet.

Ēdīcēs ergō omnī plēbī, ut postulet vir ab amīcō suō, et mulier ā vīcīnā suā vāsa argentea et aurea; et dabō grātiam populō huic cōram Aegyptiīs, et cum ēgrediēminī, nōn exībitis vacuī. Decimā diē huius mēnsis, quī deinceps prīmus erit in mēnsibus annī, tollat ūnusquisque āgnum per familiās et domōs suās. Sī autem minor est numerus quam sufficere possit ad comedendum āgnum tōtum, assūmet ē vīcīnīs

socer "Nōluitque Iācōb cōnfitērī socerō suō quod fugeret." (Genesis 31, 19–26)

perferō < per + ferre

indūrō "Ergō cuius vult miserētur, et quem vult indūrat." (Ad Romanos 9, 14–21)

novem "Porrō vīgintī et novem annōs rēgnāvit." (Heuzet, Selectae VT II 74)

ēdīcō < ex + dicere

vīcīnus "Quam contrārius hic campus suō vīcīnō?" (Vives, Exercitatio 9)

suīs, quot sufficient edendō āgnō. Erit autem āgnus sine maculā, masculus anniculus: Et servābitis eum usque ad quartam decimam diem mēnsis huius: immolābitque eum ūniversa multitūdō fīliōrum Israēlis ad vesperam.

macula "Nē dederis maculam in glōriā tuā." (Ecclesiasticus 33, 20–24)

anniculus "Faciētis et hircum prō peccātō, duōsque āgnōs anniculōs hostiās pācificōrum." (Leviticus 23, 15–22)

Et sūment ē sanguine eius, ac pōnent super utrumque postem, et in superlīmināribus domōrum in quibus comedent illum. Et edent nocte illā carnēs eius assās īgnī, et azȳmōs pānēs cum lactūcīs agrestibus. Nōn comedētis ex eō crūdum quid, nec coctum aquā, sed tantum assum īgnī. Caput cum pedibus eius et intestīnīs vorābitis. Nec remanēbit quidquam ex eō usque ad ortum sōlis. Sīquid residuum fuerit, īgne combūrētis. Sīc autem comedētis illum; rēnēs vestrōs accingētis, et calceāmenta habēbitis in pedibus tenentēs baculōs manibus, et comedētis festīnanter: est enim Pascha (id est trānsitus) Dominī.

azȳmus "Septem diēbus azȳma comedētis." (Leviticus 23, 5–11)

vorō = dēvorō

ortus < orīrī

Et trānsībō per terram Aegyptī nocte illā, percutiamque omne prīmōgenitum ab homine usque ad pecus; et adversus cunctōs Deōs Aegyptiōrum exercēbō iūdicia ego Dominus. Erit autem vōbīs sanguis in sīgnum in aedibus; in quibus eritis: et vidēbō sanguinem, et praeteribō vōs; nec erit in vōbīs plāga disperdēns, quandō percutiam terram Aegyptī. Habēbitis autem hunc diem in monumentum, et celebrābitis eum solemnem Dominō cultū sempiternō. Septem diēbus fermentum nōn inveniētur in domibus vestrīs, et quīcumque ā prīmā diē usque ad diem septimum comēderit fermentātum, perībit anima eius ē coetū Israēlis. Diēs prīma erit sancta atque solemnis, et diēs septima pariter; nihil operis faciētis in eīs, exceptīs hīs, quae ad vescendum pertinent.

trānsitus "Frūmentum ex omnī Sȳria in trānsitū suō parārī cōnstituit." (Iudith 2, 7–11)

coetus "Omnis coetus fīliōrum Israël faciet illud." (Exodus 12, 43–51)

Prīmō mēnse, quartā decimā diē mēnsis ad vesperam comedētis azima usque ad diem vīgēsimum prīmum eiusdem mēnsis ad vesperam. Vocāvit autem Mōsēs omnēs seniōrēs fīliōrum Israēlis, et dīxit eīs: Īte, tollite āgnum per vestrās quisque familiās, et immolāte. Fasciculum hyssōpī tingite in eius sanguine, et aspergite ex eō superlimināre, et utrumque postem: nūllus vestrum ēgrediātur ōstium domūs suae ante fīnem noctis. Trānsībit enim Dominus percutiēns

aspergō "Ipse quoque quī aspergit aquās, lavābit vestīmenta sua." (Numeri 19, 16–22)

Aegyptiōs, cumque vīderit sanguinem in superlīmināri, et in utrōque poste, trānscendet ōstium domūs, et nōn sinet percussōrem ingredī domōs vestrās et laedere. Cum introieritis terram, quam Dominus datūrus est vōbīs, ut pollicitus est observābitis caeremōniās istās.

Et cum dīxerint vōbīs fīliī vestrī, quae est ista religiō? dīcētis eīs, victima trānsitūs Dominī est, quandō trānsīvit super domūs fīliōrum Israēlis in Aegyptō percutiēns Aegyptiōs et domōs nostrās līberāns. Incurvātusque populus adōrāvit Dominum. Et ēgressī fīliī Israēlis fēcērunt sīcut praecēperat Dominus.



37

EGRESSUS ISRAELITARUM EX AEGYPTO

¶ In noctis mediō percussit Dominus omne prīmōgenitum in terrā Aegyptī, ā prīmōgenitō Pharaōnis quī soliō eius sedēbat usque ad prīmōgenitum captīvae, quae erat in carcere et omne prīmōgenitum iūmentōrum Surrēxitque Pharao nocte et omnēs servī eius cunctaque Aegyptus, et ortus est clāmor māgnus in Aegyptō; neque enim erat domus, in quā nōn iacēret mortuus. Vocātīsque Pharao Mōse et Aarōne nocte, dīxit; Surgite, et ēgrediēminī ē populō meō vōs et fiīī Israēlis. Īte immolāte Dominō, sīcut dīcitis. Ovēs vestrās et armenta assūmite, ut petierātis, et abeuntēs benedīcite mihi. Urgēbantque Aegyptiī populum ē terrā exīre vēlōciter; dīcentēs; Omnēs moriēmur.

Fēcērunt Isrāēlītae sīcut praecēperant Deus, et Mōsēs; et petiērunt ab Aegyptiīs vāsa argentea et aurea, vestemque plūrimam, Dominus autem dedit grātiam populō cōram Aegyptiīs, ut commodārent eīs; et spoliāvērunt Aegyptiōs. Profectī autem sunt Isrāēlītae sexcenta ferē millia peditum

vēlōciter "Et ecce veniō vēlōciter." (Apocalypsis 22, 6–10)
commodō "Homō vītae commodātus, nōn dōnātus est." (Heuzet, Selectae e profanis 4.15)
spoliō "Posteā rēgnō spoliātus Thacus ad Persās fugere coāctus est." (Heuzet, Selectae e profanis 5.33)
pedes "Equitēs eōrum arma peditum portant et pedibus pūgnāre possunt." (Pro patria 15)

virōrum, praeter parvulōs. Sed et vulgus prōmiscuum innumerābile abiit cum eīs, ovēs, et armenta, et animantia dīversī generis plūrima. Coxēruntque farīnam, quam aquā tantum cōnspersam ex Aegyptō tulerant, et fēcērunt pānēs azȳmōs. Neque enim fermentārī pānēs potuerant, cōgentibus exīre Aegyptiīs, et nūllam facere sinentibus moram: nec pulmentī quidquam in viāticum praeparāre per tempus licuerat.

vulgus = plebs
prōmiscuus = commūnis
innumerābilis "Hinc nāscuntur innumerābilia peccāta." (Heuzet, Selectae e profanis 4.33)
farīna "Itaque farīnam tantum ab iīs accēpit." (Heuzet, Selectae e profanis 5.10)
cōnspargō "Amasa autem cōnspersus sanguine iacēbat in mediā viā." (II Regum 20, 11–12)
mora "In imperātōre nūlla est mora." (Pro patria 18)

38

COLUMNA IGNIS ET NUBIS DUX ITINERIS ISRAELIS

¶ Cum ēmīsisset Pharao Isrāēlītās, nōn eōs dūxit Deus per viam terrae Philisthaeōrum, quae vīcīna erat, nē forte poenitēret eōs, sī vīdissent adversum sē bella cōnsurgere, et reverterentur in Aegyptum. Sed circumdūxit per viam dēsertī iuxtā mare rubrum. Dominus autem praecēdēbat eōs ad ostendendam viam, per diem in columnā nūbis, et per noctem in columnā īgnis: ut dux esset itineris utrōque tempore. Nec unquam per quadrāgintā annōs dēfuit columna nūbis, aut īgnis cōram populō.

circumdūcō "Et circumdūxērunt arcam Deī Israël." (I Regum 5, 6–8)

39

AEGYPTII ISRAELITAS PER MEDIUM MARE PERSECUTI FLUCTIBUS OBRUUNTUR

¶ Ut nūnciātum est Pharaōnī fūgisse Israēlem, immūtātum est cor eius atque Aegyptiōrum ergā illum dīxērunt: Quid hoc fēcimus ut dīmitterēmus Israēlem, nē servīret nōbīs? Ascendit ergō currum Rēx, et omnem populum suum assūmpsit sēcum. Tulitque sexcentōs currūs ēlectōs vel quidquid in Aegyptō curruum fuit, et ducēs tōtius exercitūs. Indūrāvitque Dominus cor Pharaōnis et persecūtus est Isrāēlītās. At illī ēgressī erant per excelsam Deī manum. Sequentēs Aegyptiī vestīgia praecēdentium Isrāēlītārum, reperērunt eōs in castrīs prope lītus maris. Hī ut vīdērunt omnem equitātum et currūs, et exercitum ūniversum Aegyptiōrum post sē timuērunt valdē, clāmāvēruntque ad Dominum, et dīxērunt Mōsī.

immūtō < in + mūtāre

Forsitan nōn erant sepulchra in Aegyptō? ideō ēdūxistī nōs ut morēmur in sōlitūdine: quid hoc facere voluistī, ut ēdūcerēs nōs ex Aegyptō? Nōnne meritō tibi dīcēbāmus, cum inter Aegyptiōs versārēmur, recēde ā nōbīs ut serviāmus Aegyptiīs? Multō enim melius erat servīre eīs, quam morī in sōlitūdine. Hīs populī querēlīs respondit Mōsēs. Nōlīte timēre: stāte, et vidēte mīrābilia quae factūrus est hodiē Dominus, Aegyptiōs enim, quōs nunc vidētis, nēquāquam ultrā vidēbitis in sempiternum. Dominus pūgnābit prō vōbīs, et vōs cessābitis. Tum dīxit Dominus Mōsī. Dīc Israēlītīs, ut viam pergant. Tū autem ēlevā virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et dīvide illud, ut gradiantur Israēlītae in mediō marī per siccum.

Ego vērō indūrābō cor Aegyptiōrum ut persequantur vōs; et glōriam colligam ex Pharaōne, et omnī exercitū eius, et curribus, et equitibus illīus. Et scient Aegyptiī mē esse dominum. Tum Angelus Deī, quī praecēdēbat castra Israēlītārum, tollēns sē abiit post eōs. Cum eō pariter columna nūbis anteriōra dīmittēns, ā tergō illōrum stetit. Haec illūmināns eōrum castra per noctem: Aegyptiīs obscūra erat et tenebrōsa, ita ut ad illōs tōtō noctis tempore accēdere nōn valērent. Cum extendisset Mōÿsēs manum super mare, sīcut praeceptum eī fuerat, abstulit illud Dominus flante ventō vehementī, et ūrente tōtā nocte, et vertit in siccum: dīvīsaque est aqua.

anterior = prior

obscūrus "Tum caelum obscūrum erit; Mārcus silvam intrāre nōlet." (Primus Annus 26)

tenebrōsus < tenebrae

Et Ingressī sunt Israēlītae per medium siccī maris; erat enim aqua quasi mūrus ā dextrā eōrum et laevā. Īnsecūtī Israēlītās Aegyptiī ingressī sunt post eōs et omnis equitātus Pharaōnis, currūs eius, et equitēs eius, per medium siccī maris. Iamque advēnerat vigilia mātūtīna, et ecce respiciēns Dominus castra Aegyptiōrum, interfēcit exercitum eōrum, et subvertit rotās curruum ferēbanturque in profundum. Dīxērunt ergō Aegyptiī: Fugiāmus Israēlem; Dominus enim pūgnat prō eīs contrā nōs. Et dīxit Dominus Mōsī. Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquae super Aegyptiōs, et currūs, et equitēs eōrum.

īnsequor < in + sequī

vigilia "Nox quattuor vigiliās habet, primam, secundam, tertiam, quārtam." (Primus Annus 11)

Cumque extendisset Mōÿsēs manum suprā mare reversum est prīmō dīlūculō ad priōrem locum: fugientibusque Aegyptiīs occurrērunt aquae et involvit eōs Dominus in mediīs fluctibus; nec ūnus quidem superfuit ex illīs. Isrāēlītae autem perrēxērunt per medium siccī maris, et aquae eīs erant quasi prō mūrō ā dextrīs et ā sinistrīs. Līberāvitque Dominus diē illā Israēlem ē manibus Aegyptiōrum. Et vīdērunt Aegyptiōs mortuōs super lītus maris, et potentiam ac virtūtem illam māgnam, quā ūsus erat Dominus in eōs, timuitque populus Dominum, et crēdidērunt Dominō, et Mōsī servō eius. Tunc cecinit Mōsēs et Isrāēlītae carmen Dominō. Et sūmpsit Maria Prophētissa, Soror Aarōnis et Mōsis, tympanum in manūs: ēgressaeque sunt omnēs mulierēs post eam cum tympanīs, et chorīs, quibus praecinēbat, dīcēns, Cantēmus Dominō: glōriōsē enim māgnificātus est, equum et ascēnsōrem eius deiēcit in mare.

dīlūculum “Surrēxit autem rēx prīmō dīlūculō, et Daniēl cum eō.” (Daniel 14, 14–21)

praecinō = prophētō

ascēnsor < ascendere



40

LEX DATA IN MONTE SINA

¶ Cum diē tertiō mēnsis tertiī post ēgressum ex Aegyptō; pervēnissent fīliī Israēlis in dēsertum Sīnae, castramentātī sunt in eōdem locō; ibique fīxērunt tentōria ē regiōne montis. Vocāvit autem Dominus Mōsēn ē monte, et ubi ascendit, dīxit eī. Haec domuī Iācōbī dīcēs, et Israēlī annūnciābis. Vōs ipsī vīdistis quae Aegyptiīs fēcerim, et quōmodo portāverim vōs, sīcut aquila portat pullōs suōs super ālās, et assūmpserim mihi. Sī ergō audieritis vōcem meam et custōdieritis pactum meum, eritis mihi in pecūlium prae cunctīs populīs, mea est enim omnis terra. Et vōs eritis mihi Rēgēs, et Sacerdōtēs, et gēns sancta. Haec dīcēs Israēlītīs. Vēnit Mōsēs, et convocātīs maiōribus nātū exposuit omnia quae mandāverat Dominus.

aquila “Aquila, Rēx Avium, intuētur Sōlem.” (Orbis pictus 23)

pecūlium = pecūnia

Responditque omnis populus simul; cuncta quae locūtus est Dominus, faciēmus. Cumque retulisset Mōsēs verba populī ad Dominum, dīxit eī Dominus. Iam nunc veniam ad tē in cālīgine nūbis, ut audiat mē populus tē alloquentem, et crēdat tibi in perpetuum. Vāde ad populum, et sanctificā

illōs hodiē et crās, laventque vestīmenta sua, et sint parātī in diem tertium, quō dēscendet Dominus cōram omnī plēbe super Montem Sīnae. Et cōnstituēs terminōs populō per circuitum, et dīcēs eī. Cavēte nē ascendātis in montem, nec tangātis fīnēs illīus: omnis, quī tetigerit montem lapidibus opprimētur aut cōnfodiētur iaculīs: sīve iūmentum fuerit, sīve homō, nōn vīvet. Cum coeperit clangere buccina, tunc ascendant ad montem.

buccina = cornū

Dēscendit Mōsēs ē monte et fēcit quae iusserat Deus. Iamque advēnerat diēs tertius, cum coepērunt audīrī tonitrua, ac micāre fulgura, et nūbēs dēnsissima operīre montem: clangorque buccinae vehementius perstrepēbat, et timuit populus quī erat in castrīs. Et ipse Mōsēs dīxit. Exterritus sum et tremebundus. Ita terribile erat quod vidēbātur. Cum ēdūxisset Isrāēlītās Mōsēs ē castrīs in occursum Deī, stetērunt ad rādīcēs montis, quī tōtus fūmābat ita, ut ascenderet fūmus ex eō quasi ē fornāce, eō quod dēscendisset Dominus super eum in īgne. Eratque omnis mōns terribilis. Et sonitus buccinae paulātim crēscēbat in maius, et prōlixius tendēbātur. Mōsēs loquēbātur, et Deus respondēbat eī. Haec autem locūtus est Dominus. 1.

tonitruum "Et cum clāmāsset, locūta sunt septem tonitrua vōcēs suās." (Apocalypsis 10, 1–5)

fūmō fūmum ēmittere

fūmus "Et fūmus eius ascendit in saecula saeculōrum." (Apocalypsis 19, 1–5)

Ego sum Dominus Deus tuus, quī ēdūxī tē dē terrā Aegyptī, dē domō servitūtis. Nōn habēbis Deōs aliēnōs cōram mē. Nōn faciēs tibi sculptile, neque ūllam similitūdinem eōrum quae sunt in caelō dēsuper, et quae in terrā deorsum, et in aquīs. Nōn adōrābis ea, neque colēs; ego sum Dominus Deus tuus fortis. Zēlōtēs (Aemulātor.) 2. Nōn assūmēs nōmen Dominī Deī tuī in vānum. Nec enim habēbit īnsontem Dominus eum, quī assūmpserit nōmen Dominī Deī suī frustrā. 3. Mementō ut diem Sabbatī sanctificēs. Sex diēbus operāberis, et faciēs omnia opera tua.

deorsum "Iēsūs autem inclīnāns sē deorsum, digitō scrībēbat in terrā." (Ioannes 8, 1–8)

aemulātor "Dominus zēlōtēs nōmen eius; Deus est aemulātor." (Exodus 34, 10–14)

Septimō autem diē Sabbatum Dominī Deī tuī est, nōn faciēs ūllum opus in eō, tū, et fīlius tuus, et fīlia tua, servus tuus, et ancilla tua, iūmentum tuum, et advena quae est intrā portās tuās. Sex enim diēbus fēcit Dominus caelum, et terram, et mare, et omnia quae in eīs sunt, et requiēvit

diē septimō. Idcircō benedīxit Dominus diem Sabbatī, et sanctificāvit eum. 4. Honōrā patrem tuum et mātrem tuam, et sīs longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 5. Nōn occīdēs. 6. Nōn moechāberis. 7. Nōn fūrtum faciēs. 8. Nōn dicēs contrā proximum tuum falsum testimōnium. 9. Nōn concupīscēs uxōrem proximī tuī. 10.

concupīscō "Facit autem animus sibi dīvitiās, nihil concupīscendō." (Heuzet, Selectae e profanis 5.14)

Nōn dēsīderābis eius domum, nōn agrum, nōn servum, nōn ancillam, nōn bovem, nōn asinum; et ūniversa quae illīus sunt. Haec verba prōtulit Dominus ad omnem multitūdinem in monte ē mediō īgnis, et cālīginis, vōce māgnā, nihil addēns amplius. Cunctus autem populus audiēbat tonitrua et sonitum tubae, vidēbatque lampadēs et montem fūmantem. Itaque perterritī, et pavōre concussī stetērunt procul, dīcentēs Mōsī: Loquere tū et audiēmus, nōn loquātur Dominus, nē forte moriāmur. Et ait Mōsēs: nōlīte timēre, vēnit enim Deus ut probāret vōs, et ut terror illīus esset in vōbīs, et nōn peccārētis. Stetitque populus longē.

Mōsēs autem accessit ad cālīginem, in quā erat Deus, permānsitque in monte quadrāgintā diēbus, et quadrāgintā noctibus, pānem nōn comedēns, et aquam nōn bibēns. Et dedit illī Deus varia praecepta ad populum dēferenda quōrum pauca hīc iuvābit īnscrībere. Quī blasphēmāverit nōmen Dominī morte moriātur. Dīligēs Dominum Deum tuum ex tōtō corde tuō, et ex tōtā animā tuā, et ex tōtā fortitūdine tuā. Quī percusserit patrem suum, aut mātrem, morte moriātur. Quī maledīxerit patrī suō, vel mātrī, morte moriātur.

iuvō = adiuvō
īnscrībō < in + scrībere
blasphēmō "Nōn ergō blasphēmētur bonum nostrum." (Ad Romanos 14, 13–19)

Sī genuerit homō fīlium contumācem et protervum, quī nōn audiat patris, aut mātris imperium, et iussus obēdīre contempserit, apprehendent eum et dūcent ad seniōrēs cīvitātis illīus, et ad portam iūdiciī, dīcentque ad eōs: Fīlius noster hic protervus et contumax est, monita nostra audīre contemnit, cōmessātiōnibus vacat, et luxuriae atque convīviīs. Lapidibus eum obruet et populus cīvitātis, et moriētur, ut auferātis malum ē mediō vestrī, et ūniversus

Israēl audiēns pertimēscat. Cōram cānō capite cōnsurge, et honōrā persōnam Senis.

persōna "Cōgnōscere persōnam in iūdiciō nōn est bonum." (Proverbia 24, 23–29)

Nōn negābis mercēdem indigentī: sed eōdem diē reddēs eī pretium labōris suī ante sōlis occāsum, quia pauper est, et eō sustentat animam suam: nē clāmet contrā tē ad Dominum, et vertātur tibi in peccātum. Nōn maledīcēs surdō, nec cōram caecō pōnēs offendiculum: sed timēbis Dominum Deum tuum. Sī bovem frātris tuī aut ovem errantem vīderis nōn praeterībis: sed redūcēs frātrī tuō. Sī autem nōn est propinquus frāter tuus, nec nōstī eum; dūcēs domum tuam, et erunt apud tē quamdiū quaerat ea frāter tuus, et recipiat. Sī occurreris bovī inimīcī tuī, aut asinō errantī, redūc ad eum. Sī vīderis asinum ōdientis tē iacēre sub onere, nōn pertrānsībis, sed sublevābis cum eō.

sustentō "Pater sustentat Liberōs, labōrandō." (Orbis pictus 120)

sublevō < sub + levāre

Nōn ōderis frātrem tuum in corde tuō. Nōn quaerēs ultiōnem, nec memor eris iniūriae cīvium tuōrum. Nōn faenerābis frātrī tuō ad ūsūram pecūniam, nec frūgēs, nec quamlibet aliam rem, sed absque ūsūrā id quō indiget commodābis. Sī pecūniam mūtuam dederis populō meō pauperī quī habitat tēcum, nōn urgēbis eum quasi exactor nec ūsūrīs opprimēs. Mendācium fugiēs. Nōn suscipiēs vōcem mendācii: nec iungēs manum tuam, ut prō impiō dīcās falsum Testimōnium. Nōn eris calumniātor, nec susurrō in populō. Nōn mentiēminī nec dēspiciet ūnusquisque proximum suum. Nōn habēbis dīversa pondera, maius et minus, nec erit in domō tuā modius maior et minor.

ultiō "Ego autem in diē ultiōnis vīsitābō et hoc peccātum eōrum." (Exodus 32, 30–35)
ūsūra < ūtī

mentior "Turpissimum apud eōs habētur mentīri." (Heuzet, Selectae e profanis 3.15)
modius < modus

Pondus habēbis iūstum et vērum, et modius aequālis, et vērus erit tibi. Nōn accipiēs mūnera, quae etiam excaecant prūdentēs et subvertunt verba iūstōrum. Nōn induētur mulier veste virīlī, nec vir ūtētur veste foemineā: abōminandus est enim apud Deum quī facit haec. Cum vōtum vōveris Dominō Deō tuō, nec tardābis reddere: quia requīret illud Dominus Deus tuus. Et sī morātus fueris, vertētur tibi in peccātum. Nōn faciēs quod inīquum est, nec iniūstē iūdicābis. Nōn cōnsīderēs persōnam pauperis, nec honōrēs vultum potentis. Iūstus Iūdex estō proximō tuō. Nōn stābit

aequālis = aequus

fēmineus < fēmina

tardō "Deus meus, nē tardāveris." (Psalmus 39, 14–18)

testis ūnus contrā aliquem quidquid illud peccātī et facinoris fuerit sed in ōre duōrum aut trium testium stābit omne verbum.

Nōn sequēris turbam ad faciendum malum: nec in iūdiciō cōnsentiēs plūrimōrum sententiae, ut ā vērō dēclīnēs. Sī quis per industriam occīderit proximum suum et per īnsidiās, ab altārī meō ēvellēs eum ut moriātur. Nōn accipiētis pretium ab eō quī reus est sanguinis, statim et ipse moriētur.

41

TRANSITUS IORDANIS ARCA PRAEEUNTE

¶ Iosue et fīliī Israēlis, moventēs castra ē Sētim vēnērunt ad Iordānem amnem, et nōn longē ab eius rīpā morātī sunt trēs diēs. Quibus exactīs trānsiērunt praecōnēs per media castra, et clāmāre coepērunt. Quandō vīderitis arcam foederis Dominī Deī vestrī, et Sacerdōtēs stirpis Lēvīticae portantēs eam, vōs quoque cōnsurgite, et sequiminī. Cavēte tamen nē propius accēdātis ad arcam; sed sit inter vōs, et eam spatium cubitōrum duōrum millium, ut vidēre eam procul possītis, et nōsse quam viam vōs ingredī oporteat quia prius illā nōn incessitis.

exigō < ex + agere

stirps "Stirpem Enac vīdimus ibi." (Numeri 13, 26–31)

Dīxit Iosue populō: Sanctificāminī, crās enim faciet Dominus inter vōs mīrābilia; et hāc ratiōne sciētis Dominum Deum vīventem in mediō vestrī esse, et disperditūrum in cōnspectū vestrō Chananaeōs, aliōsque huius regiōnis populōs. Ecce arca foederis Dominī omnis terrae antecēdet vōs per Iordānem. Et cum posuerint vestīgia pedum suōrum Sacerdōtēs, quī portant arcam, in aquīs Iordānis, aquae quae īnferiōrēs sunt, dēcurrent, atque dēficient; quae autem dēsuper veniunt, in ūnā mōle cōnsistent. Igitur ēgressus est populus ē tabernāculīs suīs ut trānsīret Iordānem: et Sacerdōtēs, quī portābant arcam foederis, pergēbant ante eum.

antecēdō < ante + cēdere

dēcurrō < dē + currere

Ingressīsque eīs Iordānem, et pedibus eōrum aquā tinctīs; aquae quae superne dēfluēbant, stetērunt in locō ūnō, et īnstar montis intumēscentēs appārēbant procul: quae autem īnfrā erant, in mare mortuum dēscendērunt, dōnec omnīnō

supernus = superus
dēfluō < dē + fluere
īnstar "Exemplum hoc ūnum erit īnstar omnium." (Heuzet, Selectae e profanis 3.62)
īnfrā = sub

dēficerent. Populus autem incēdēbat contrā Ierichuntem: et Sacerdōtēs quī portābant arcam foederis Dominī, stābant super siccam humum in mediō Iordānis, omnisque populus per ārentem alveum trānsībat. Intereā duodecim virī, quōs, Dominō ita praecipiente, ēlēgerat Iosue ex Isrāēlītīs, singulōs ē singulīs Tribubus, duodecim lapidēs dūrissimōs ē mediō Iordānis alveō, ubi stābant pedēs Sacerdōtum sublātōs humerīs asportārunt. Deinde in eōrum locum aliōs totidem reposuērunt: ut hoc esset posterīs exsiccātī quondam flūminis monumentum.

Cum omnis populus trānsīsset, et Sacerdōtēs quī portābant arcam, ē flūmine ascendissent, vīcīnōsque campōs calcāre coepissent; reversae sunt aquae in alveum suum et fluxērunt sīcut ante cōnsuēverant. Iosue vērō duodecim lapidēs, quōs ē Iordānis alveō tollendōs cūrāverat, posuit eō in locō ubi prīmum castramentātus est; fixitque tentōria sīcutī imperāverat Deus. Tum dīxit Isrāēlītīs. Quandō interrogāverint vōs posthāc fīliī vestrī, et dīxerint. Quid sibi volunt lapidēs istī? docēbitis eōs, atque dīcētis.

Per ārentem alveum trānsīvit Israēl Iordānem istum siccante Dominō Deō vestrō aquās eius in cōnspectū vestrō, dōnec trānsīrētis: sīcut fēcerat prius in mare rubrō, quod siccāvit dōnec trānsīrēmus: ut discant omnēs terrārum populī, quanta sit Dominī potentia, et vōs timeātis Dominum Deum vestrum omnī tempore.

āreō "Ārēbant membra ieiūniō, sed dēficere mēns coelō intenta nōn poterat." (Sanctorum vitae 67)

asportō "Hāc pietāte captī Graecī, permisēre illī etiam alteram rem asportāre." (Heuzet, Selectae e profanis 3.36)

quondam "Quondam Prōmunturium Procellārum vocābātur." (Pro patria 16)

calcō "Omnis locus, quem calcāverit pēs vester, vester erit." (Deuteronomium 11, 22–27)



42
MURI IERICHUNTIS CORRUUNT

¶ Trānsgressī Iordānem Isrāēlītae vēnērunt in vīcīniā urbis Ierichuntis: quae timōre eōrum clausa erat et mūnīta, ita ut nūllus ex eā ēgredī audēret, aut, in eam ingredī. Dīxitque Dominus Iosue: Ecce dedī in manūs tuās urbem Ierichuntem, et rēgem eius, omnēsque fortēs virōs. Circumeant eam sex diēbus, semel per diem, cunctī fīliī Isrāēlis silentēs; tum septem Sacerdōtēs arcam foederis praecēdentēs, buccinīs, quārum ūsus est in iubilaeō, clangent. Diē vērō septimō urbs septiēs circumeātur, et septimō circuitū conclāmet omnis populus vōciferātiōne māximā. Futūrum autem est: et mūrī cīvitātis funditus corruant. Et tunc ingredientur singulī Isrāēlītae per locum contrā quem steterint.

Vocāvit ergō Iosue Sacerdōtēs, et dīxit eīs: Tollite arcam foederis, et septem aliī Sacerdōtēs tollant iubilaeī buccinās, et incēdant ante arcam Dominī. Populō vērō dīxit; Īte et circuīte cīvitātem armātī praecēdentēs arcam Dominī. Nōn clāmābitis, nec audiētur vōx vestra, neque ūllus sermō ex

circumeō "Circumibat prope cuncta tentōria; nēminem abesse ā signis patiēbātur." (Heuzet, Selectae e profanis 3.10)
sileō = taceō
iubilaeus "Annō iubilaeī, redient omnēs ad possessiōnēs suās." (Leviticus 25, 13–19)
conclāmō < con- + clāmāre

armō cf. arma

ōre vestrō ēgrediētur, dōnec veniat diēs in quō dīcam vōbīs: Clāmāte, et vōciferāminī. Cum Iosue loquī dēsiisset, septem Sacerdōtēs coepērunt buccinīs clangere ante arcam foederis Dominī, omnisque praecēdēbat armātus exercitus, reliquus autem vulgus arcam sequēbātur. Et sīc per sex diēs circumiērunt cīvitātem, semel singulīs diēbus, et quotīdiē reversī sunt in castra. Diē autem septimō, dīlūculō cōnsurgentēs, circumiērunt cīvitātem, quemadmodum imperātum erat, septiēs.

vōciferor = clāmō

dēsinō "Sentiēns Liā quod parere dēsiisset, Zelpham ancillam suam marītō trādidit." (Genesis 30, 9–15)

quotīdiē "Quotīdiē ad ratiōnem reddendam vocandus est animus." (Heuzet, Selectae e profanis 5.21)

Cumque septimō circuitū omnia personārent clangōre buccinārum Sacerdōtum, dīxit Iosue, Isrāēlītīs; Vōciferāminī: trādidit enim vōbīs Dominus cīvitātem. Cīvitās haec tōta cum suīs habitātōribus dēleātur. Sōla Rahab vīvat, quae missōs ā nōbīs explōrātōrēs hospitiō excēpit, et abscondit. Quidquid autem aurī et argentī, et vāsōrum aēneōrum, ac ferrī repertum fuerit, id cōnsecrētur Dominō, et in thēsaurīs eius repōnendum servētur. Igitur omnī populō vōciferante, et clangentibus tubīs postquam in aurēs multitūdinis vōx sonitusque increpuit, mūrī illicō corruērunt. Ascendit ūnusquisque per locum quī contrā sē erat: cēpērunt cīvitātem, et interfēcērunt omnia, quae erant in eā, ā virō usque ad mulierem, ab īnfante usque ad senem. Bovēs quoque et ovēs et asinōs gladiō percussērunt.

aēneus "Dabōque vōbīs caelum dēsuper sīcut ferrum, et terram aēneam." (Leviticus 26, 14–19)

Duōbus autem virīs quī explōrātōrēs missī fuerant, dīxit Iosue: ingrediēminī domum Rahabis mulieris, et ēdūcite eam, et parentēs eius, frātrēs quoque, et cōgnātiōnem illīus, et cunctam supellectilem, et omnia quae illīus sunt, sīcut eī iūrāmentō firmāstis. Quod ubi factum est urbem, et omnia quae erant in eā, succendērunt: sēpositō aurō et argentō et vāsīs aēnīs ac ferrō quae in aerārium Dominī cōnsecrārunt.

supellex "Omnia vāsa et supellectilem ad numerum accipient, sīcque portābunt." (Numeri 4, 31–36)

sēpōnō < sē- + pōnere

aerārium "Igitur dē Hēliodōrō et aerārii custōdiā ita rēs sē habet." (II Machabaeorum 3, 36–40)

43

LEVITA BENIGNE ACCEPTUS A SOCERO ET A SENE QUODAM EPHRATAEO

¶ Dum inter Lēvītam quemdam Ephraimī montis, et uxōrem eius aliquid rixae ortum esset, reversa erat mulier domum patris suī, quī habitābat in urbe Bethlehēmō

manseratque apud eum quatuor mēnsibus. Sed Lēvīta volēns reconciliārī uxōrī, eamque sēcum redūcere, perrēxit in urbem Bethlehēmum ad socerum. Quī cum audīsset generī adventum, occurrit eī laetus, et amplexātus est hominem; mansitque gener apud socerum tribus diēbus, comedēns cum eō et bibēns familiāriter. Diē autem quartō dē nocte cōnsurgēns proficīscī voluit: sed eum tenuit socer, et dīxit: Gustā prius pauxillum pānis: et corrōborā stomachum, et sīc proficīscēris. Sēdērunt simul, ac comēdērunt; et bibērunt. Dīxitque pater mulieris generō suō: Quaesō tē ut hodiē hīc maneās, pariterque laetēmur.

reconciliō "Obsecrāmus prō Christō, reconciliāminī Deō." (II ad Corinthios 5, 16–21)

generō cf. genus

laetor "Vidistī, et laetātus es." (Heuzet, Selectae VT II 39)

nihilōminus = tamen

At ille cōnsurgēns coepit velle proficīscī. Et nihilōminus obnixē eum socer tenuit et apud sē ut manēret, fēcit. Posterō diē māne parābat item Lēvīta proficīscī. Cui socer rūrsum. Ōrō tē, inquit, ut pauxillum cibī capiās, et assūmptīs vīribus dōnec incrēscat diēs, posteā proficīscāris. Comēdērunt ergō simul. Surrēxit deinde adolēscēns ut abīret cum uxōre suā et servō. Cui rūrsum dīxit socer. Cōnsīderā diem ad occāsum dēclīviōrem esse, et propinquāre vesperam: manē mēcum etiam hodiē et dūc laetum diem, et crās proficīscēris ut redeās domum. Nōluit gener obtemperāre socerī sermōnibus, sed statim abiit dūcēns sēcum duōs asinōs onustōs, et servum, et uxōrem.

incrēscō < in + crēscere

propinquō = appropinquō

obtemperō = obēdiō

Cum iter carperent, occubuit eīs sōl iuxtā urbem Gabaam, quae erat in Tribū Beniaminiticā, dīvertēruntque ad eam, ut pernoctārent ibi. Quō cum intrāssent, sedēbant in plateā cīvitātis, et nūllus eōs recipere voluit hospitiō; erant enim hominēs illīus regiōnis pessimī. Sed ecce appāruit quīdam senex Ephrataeus, revertēns ex agrō et ab opere suō vespere; quī peregrīnus habitābat in illā urbe. Hic ut prīmum vīdit sedentem hominem cum sarcinulīs suīs in plateā cīvitātis dīxit eī: Unde venīs? et quō vādis?

occubō < ob + cubāre

pernoctō "Quādam diē Samson urbem Philistaeōrum ingressus est, ibique pernoctātūrus vidēbātur." (Epitome Historiae Sacrae 103)

Quī respondit: Profectī sumus ex urbe Bethlehēmō, et pergimus ad montem Ephraimum; nūllus tēctō suō nōs vult excipere, quamvīs habeāmus paleās et foenum in asinōrum pābulum, et pānem ac vīnum in meōs et ancillae tuae ūsūs:

quamvīs = etsī

et servī quī mēcum est: nūllā rē indigēmus nisi hospitiō. Cui respondit senex: Pāx tēcum sit. Ego praebēbō omnia quae necessāria sunt. Tantum quaesō nē in plateā maneās. Intrōdūxitque eum in domum suam; et pābulum asinīs praebuit. Deinde ubi lāvērunt pedēs suōs, epulātī sunt; post labōrem itineris cibō, et pōtū reficientēs corpora.

epulor "Et post haec epulātī sunt, benedīcentēs Deum." (Tobias 7, 14–20)



44
GEDEON ADVERSUS MADIANITAS MITTIT DEUS

¶ Fēcērunt Isrāēlitae malum in cōnspectū Dominī, quī trādidit illōs in manūs Madianītārum septem annīs, et oppressī sunt valdē ab eīs. Fēcēruntque sibi antra et spēluncās in montibus, et mūnītissima ad repūgnandum loca. Cumque sēvisset Israēl ascendēbant Madianītae, et Amalacitae, cēteraeque Orientālēs nātiōnēs, et in eius agrīs figentēs tentōria, sīcut erant in herbīs, cuncta vastābant, nihil quō omnīnō ad vītam pertinēns relinquēbant, nōn ovēs, nōn bovēs, nōn asinōs. Ipsī enim, et ūniversī gregēs eōrum veniēbant, et quia hominum erat et camēlōrum innumerābilis multitūdō, complēbant ūniversa, et quidquid tetigerant īnstar locustārum dēvastābant. Humiliātusque est et attenuātus valdē Israēl propter frequentēs illās Madianītārum incursiōnēs, et clāmāvit ad Dominum postulāns auxilium contrā illōs.

Audīvit Dominus clāmōrem Isrāēlītārum. Et cum Gedeōn ē Tribū Mānassae excuteret atque purgāret frūmenta, et cum iīs fugeret Madianītās; appāruit eī Angelus Dominī

antrum = spēlunca

mūnītus "Cēpitque cīvitātēs mūnītissimās in Iūda, et vēnit usque in Ierusalem." (II Paralipomenon 12, 1–6)

repūgnō < re- + pūgnāre

serō "Agrum tuum nōn serēs diversō sēmine." (Leviticus 19, 19–23)

dēvastō < dē + vastāre

frequēns "At eōrum frequēns ūsus omne animīs pondus omnemque vim ēripiet." (Heuzet, Selectae e profanis 5.31)

purgō "Ēripuit enim nōs dē māgnīs perīculīs, et locum purgāvit." (II Machabaeorum 2, 13–19)

dīxitque: Dominus tēcum virōrum fortissime. Cui respondit Gedeōn: Obsecrō domine mī, sī Dominus nōbīscum est, cūr apprehendērunt nōs haec omnia mala? ubi sunt mīrābilia eius, quae nārrāvērunt patrēs nostrī, dīcentēs quōmodo ēdūxerit nōs ex Aegyptō? nunc autem dērelīquit nōs Dominus, et trādidit in manūs Madianītārum. Tunc respexit ad eum Dominus et dīxit: Vāde cum hāc fortitūdine tuā, et liberābis Israēlem ē manū Madianītārum. Scītō quod mīserim tē. Obsecrō: Domine mī, inquit Gedeōn: quōmodo liberābō Israēlem?

Ecce familia mea īnfima est ex Tribū Mānassae, et ego minimus in domō patris meī sum. Dīxitque eī Dominus; Ego erō tēcum: et percutiēs Madianītās quasi ūnum virum. Et ille; Sī invēnī, inquit, grātiam cōram tē, dā mihi sīgnum quō nōverim quod tū sīs quī sermōnem habēs mēcum. Nec recēdās hinc dōnec revertar ad tē, afferēns tibi atque offerēns mūnus meum. Quī respondit: Ego praestōlābor adventum tuum. Ingressus itaque domum Gedeōn coxit hoedum et ē farīnae modiō azȳmōs pānēs, carnēsque pōnēns in canistrō, et iūs carnium mittēns in ollam tulit omnia, atque obtulit Angelō sedentī sub quercū.

Cui dīxit Angelus Dominī: Et carnēs et azȳmōs pānēs pōne suprā petram hanc, et iūs dēsuper funde. Cumque fēcisset ita, extendit Angelus Dominī virgam quam tenēbat manū, et tetigit carnēs et pānēs azȳmōs: ascenditque ignis dē petrā, et carnēs azȳmōsque pānēs cōnsūmpsit. Angelus autem Dominī ēvānuit ex oculīs eius. Vidēnsque Gedeōn esse Angelum Dominī, exclāmāvit; Heu, Domine mī Deus oculīs meīs vīdī faciem Angelī Dominī: Dīxitque eī Dominus, Pāx tēcum, nē timeās, nōn moriēris. Aedificāvit ergō ibi Gedeōn altāre Dominō.

heu “Heu! audit magister ipse.” (Puer Romanus 2)

45
DUPLICI VELLERIS MIRACULO CONFIRMATUR GEDEON

¶ Omnēs Madianītae, et Amalacitae, et Orientālēs populī congregātī sunt simul, et trānseuntēs Iordānem,

castramentātī sunt in valle Iezraēlis, Spīritus autem Dominī induit Gedeōnem quī clangēns buccinā convocāvit omnem domum suam, ut sequerētur. Mīsitque nūnciōs ad aliquot Tribūs, unde eī occurrērunt multī fīliī Israēlis. Dīxitque Gedeōn Deō. Salvum ne faciēs operā meā Israēlem, sīcut locūtus es? ēn ego pōnam hoc vellus lānae in āreā, sī rōs sōlō vellere fuerit et in omnī terrā circum siccitās, tunc sciam liberātum īrī operā meā Israēlem, sīcut pollicitus es. Factumque est ita. Nam posterō diē māne cōnsurgēns Gedeōn, rōre ē vellere expressō concham implēvit. Dīxitque rūrsus Deō; Nē īrāscātur furor tuus contrā mē, sī adhūc semel tentāverō, alterum sīgnum quaerēns in vellere. Ōrō ut sōlum vellus siccum sit, et omnis terra sit rōre madida. Fēcitque Deus nocte illā ut postulāverat Gedeōn, ut vellere siccō manente: fuit rōs in omnī humō.

aliquot "Tunc rogāvērunt eum ut manēret apud eōs aliquot diēbus." (Actus 10, 44–48)

ārea "Erat autem angelus Dominī iuxtā āream Areuna Iebusaei." (II Regum 24, 15–17)

circum "Circum īnsulās aquam vidētis, sed circum Helvētiam terrās." (Primus Annus 12)

46

PROBANTUR AD AQUAS QUI AD BELLUM ESSENT PROGRESSURI

¶ Gedeōn dē nocte cōnsurgēns, et omnis populus cum eō, vēnit ad fontem quī vocābātur Harad. Erant autem castra Madianītārum in valle ad Septentriōnālem plagam collis excelsī. Dīxitque Dominus Gedeōnī: Multus tēcum est populus nec trādentur Madianītae in manūs eius, nē glōriētur contrā mē Israēl, et dīcat: meīs vīribus līberātus sum. Itaque haec cunctīs audientibus praedicā; quī meticulōsus et timidus est, revertātur. Recessēruntque et reversī sunt ē populō vīgintī duo millia virōrum, et tantum decem millia remānsērunt. Dīxitque Dominus Gedeōnī: Adhūc populus multus est: dūc eōs ad aquās, et ibi probābō illōs: et dē quō dīxerō tibi ut tēcum vādat, ipse pergat; quem īre prohibuerō, revertātur.

Cum itaque dēscendisset populus ad aquās, dīxit Dominus Gedeōnī. Quī linguā lambent aquās, sīcut solent canēs lambere, sēparābis eōs seorsum; quīcumque autem curvātīs genibus prōnī biberint, in alterā parte erunt. Fuērunt ergō quī lamberant aquam, manū eam ad ōs admoventēs, numerō

curvō = inclīnō

admoveō < ad + movēre

trecentī virī; omnis autem reliqua multitūdō flexō poplite biberat. Tunc dīxit Dominus Gedeōnī: Trecentīs istīs virīs, quī lambērunt aquās, līberābō vōs, trādamque in manum tuam Madianītās; omnis autem multitūdō revertātur in locum suum.

flectō = inclinō
poples = genū



47

TUBIS, LAGENIS, ET LAMPADIBUS DEBELLANTUR MADIANITAE

¶ Dīmīsit itaque Gedeōn omnēs Isrāēlītās in sua quaeque tabernācula, retinuitque tantum trecentōs illōs virōs, cum quibus sē ad pūgnandum accinxit; sūmptīs prō numerō eōrum cibāriīs et tubīs. Dīvīsit autem trecentōs virōs in trēs partēs, et dedit tubās in manūs singulōrum, lagēnāsque testāceās vacuās, et lampadēs in mediō lagēnārum et dīxit eīs; Quod mē facere vīderitis; hoc facite. Ingrediar partem hostīlium castrōrum. Quandō personuerit tuba in manū meā, vōs quoque per castrōrum circuitum tubīs clangite et conclāmāte: Dominō, et Gedeōnī. Ingressusque est Gedeōn, et trecentī virī quī erant cum eō, in partem castrōrum, incipientibus vigiliīs noctis mediae; et custōdibus suscitātīs coepērunt buccinīs clangere, et collīdere inter sē lagēnās.

hostīlis < hostis

Cumque circumeundō castra in tribus personārent locīs, et hydriās cōnfrēgissent, tenuērunt sinistrīs manibus lampadēs; dextrīs vērō tubās quibus clangēbant, clāmāvē-

runtque: Gladius Dominī et Gedeōnis: stantēs singulī in locō suō per circuitum castrōrum hostīlium. Iacēbant tunc fūsī in valle et castrīs Madianītae et Amalecitae; et omnēs Orientālēs populī, ut locustārum multitūdō, Camēlī quoque innumerābilēs erant, sīcut arēna quae iacet in littore maris. Itaque audītō tubārum sonitū, vīsīsque lampadibus, omnia hostium castra turbāta sunt, et vōciferantēs ululantēsque hūc, et illūc fūgērunt. Sed īnsistēbant trecentī virī buccinīs personantēs; dirēxitque Dominus gladiōs hostium in sē invicem, ita ut ipsī sē mūtuā caede perimerent.

Quī vērō fugā salūtī suae cōnsulere tentāverant, eōs Gedeōn comprehēnsōs omnēs necāvit. Post dēbellātōs tam īnsīgnī victōriā hostēs dīxērunt omnēs Isrāēlītae Gedeōnī Domināre in nōs tū et fīlius tuus, et fīlius fīliī tuī: quia liberāstī nōs ē manū Madianītārum. Quibus ille respondit; nōn domināb̄or ego, nec domināb̄itur fīlius meus in vōs: sed ipse domināb̄itur vōbīs Dominus.

ululō "Turbātur per domum, clāmātur, ululātur." (Puer Romanus 5)

perimō = interficiō

necō = interficiō
dēbellō "Sed Britannī nōndum dēbellātī erant." (Pro patria 4)
insignis "Hī ūnum ex sēsē, iūstitiā māximē insignem, sibi praesidem dicēbant." (Heuzet, Selectae e profanis 5.41)



48

SAMUEL NASCITUR, ET DEO OFFERTUR

¶ Elcana Ephrataeus habuit uxōrēs duās; nōmen ūnī Anna, et nōmen alterī Phenenna. Fuēruntque Phenennae filiī, Annae autem līberī nōn erant. Īnsectābātur quoque Annam aemula eius, et vehementer vexābat, adeō ut etiam exprobrāret quod filiōs eī Dominus nōn dedisset. Porrō illa flēbat, et nōn capiēbat cibum. Dīxit ergō eī Elcana vir suus, quī eam dīligēbat: Anna cūr flēs, et quārē nōn comedis? et quamobrem moerōre cōnficitur cor tuum? numquid nōn ego melior tibi sum quam decem filiī? Elcana autem et uxōrēs eius ē cīvitāte suā ascendērunt ad urbem Silō, ut adōrārent Deum, et sacrificārent Dominō exercituum, sīcutī statūtīs diēbus cōnsuēverant.

vexō "Et quī vexābantur ā spīritibus immundīs, cūrābantur." (Lucas 6, 12–19)

sīcutī = sīcut

Tunc Anna quam amāra angēbat tristitia, ōrāvit Dominum, flēns abundē, et vōtum vōvit dīcēns: Domine exercituum sī respiciēns vīderis angōrem famulae tuae et recordātus meī fueris, nec oblītus ancillae tuae dederisque servae tuae sexum virīlem; dabō eum Dominō omnibus diēbus vītae eius, et novācula nōn admovēbitur capitī eius.

angō "Illud Iosēphum angēbat, quod Beniamīnus cum caeterīs nōn aderat." (Epitome Historiae Sacrae 57)

Cui dīxit Heli Sacerdōs, quī sedēbat super sellam ante postēs tabernāculī Dominī; Vāde in pāce, Deus Israēlis annuat petītiōnī, et det quod rogāstī eum. Recordātus est autem Dominus Annae. Et factum est post aliquot diēs, ut conciperet, ac deinde pareret fīlium. Vocāvitque nōmen eius Samuēl, hoc est, postulātum ā Dominō.

sella "Mārcus suam sellam habet." (Primus Annus 8)

annuō "Tum vērō eius precibus annuit mulier." (Heuzet, Selectae VT II 45)

Accendente deinde Elcanā virō eius, et omnī domō ad Tabernāculum, ut immolāret Dominō hostiam solemnem ipsa nōn ascendit: dīxit enim virō suō; Nōn vādam, dōnec ā lacte āmoveātur īnfāns, et dūcam eum ut appāreat ante cōnspectum Dominī, et maneat tibi iūgiter. Et respondit Elcana: Fac quod bonum tibi vidētur; precorque ut impleat Dominus prōmissum suum. Mansit ergō mulier, et lactāvit fīlium suum, dōnec āmovēret eum ā lacte. Tunc eum adhūc īnfantulum addūxērunt sēcum ad Dominum pater et māter: immolātō vitulō, obtulērunt puerum Sacerdōtī Heli, cui dīxit Anna: Domine mī, ego sum illa mulier quae stetī cōram tē hīc ōrāns Dominum.

prōmissum "Lēx ergō adversus prōmissa Deī?" (Ad Galatas 3, 19–25)

Prō puerō hōc ōrāvī, et dedit mihi Dominus quod postulāvī ab eō. Idcircō et ego commodō eum Dominō omnibus diēbus vītae eius. Postquam ōrāvērunt Dominum, rediērunt domum parentēs Samuēlis. Puer autem remānsit, fuitque minister in cōnspectū Dominī ante faciem Heli Sacerdōtis.



49
SAMUELI APERIT DEUS QUAE MALA IMPENDEANT HELI PROPTER FILIOS

¶ Samuēl ministrābat ante faciem Dominī, puer accinctus Ephod līneō. Et tunicam parvam faciēbat eī māter sua, quam afferēbat statūtīs diēbus, ascendēns cum virō, ut immolāret hostiam solemnem. Et benedīxit Heli Helcanae, et uxōrī eius, dīxitque eī: Reddat tibi Dominus sēmen ē muliere hāc, prō foenore quod commodāstī Dominō. Et abiērunt in locum suum. Vīsitāvit ergō Dominus Annam, et concēpit, et peperit trēs filiōs, et filiās duās. Puer autem Samuēl prōficiēbat, atque crēscēbat, et placēbat tam Deō, quam hominibus. Porrō filiī Heli, pietātis omnis atque probitātis expertēs, erant nescientēs Dominum, neque officium Sacerdōtum ergā populum. Eratque peccātum eōrum grande cōram Dominō.

ephod "Et applicāvit Abiathar ephod ad Dāvīd." (I Regum 30, 7–11)

Heli autem erat senex valdē, et audīvit omnia quae faciēbant filiī suī ūniversō Israēlī, dīxitque eīs: Quārē facitis rēs huiuscemodī quās ego audiō, rēs pessimās, ab omnī populō? Nōlīte, filiī meī, ita agere, nōn enim est bona

huiuscemodi "Cōnfortātusque est populus huiuscemodi verbis Ezechiae rēgis Iūda." (II Paralipomenon 32, 6–8)

fāma quam ego audiō. Et nōn audiērunt vōcem patris suī: quia voluit Dominus occīdere eōs. Puer autem Samuēl ministrābat Dominō cōram Heli. Et sermō Dominī erat tunc pretiōsus et rārus, neque erat vīsiō manifesta. Diē quādam Heli iacēbat in lectulō, et oculī eius cālīgāverant, nec poterat vidēre. Samuēlque dormiēbat intrā septa Tabernāculī, in quō erat arca Dominī. Et vocāvit Dominus Samuēlem, quī respondēns dīxit: Ecce ego.

rārus "Rārum hoc adolēscentibus nostris." (Heuzet, Selectae e profanis 5.28)
manifestus "In hōc manifestī sunt fīliī Deī, et fīliī diabolī." (I Ioannis 3, 10–15)
lectulus < lectus

Et cucurrit ad Heli, et dīxit: Ecce ego; vocāstī enim mē? Quī dīxit: Nōn vocāvī, revertere, et dormī. Et abiit, et dormīvit. Rūrsus vocāvit Dominus Samuēlem; cōnsurgēnsque Samuēl abiit ad Heli, et dīxit: Ecce ego, quia vocāstī mē. Quī respondit: Nōn vocāvī tē, fīlī mī, revertere, et dormī. Porrō Samuēl nōndum nōverat Dominum, nec adhūc revēlātum eī fuerat verbum Dominī. Vocat Dominus tertiō Samuēlem. Quī cōnsurgēns abiit ad Heli, dīxitque: Ecce ego, quia vocāstī mē. Intellēxit Heli ā Dominō ipsō puerum dormientem excitārī, ac vocārī; et dīxit Samuēlī: Vāde, et dormī, et sī deinceps vocātus fueris dīcēs: loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Abiit ergō Samuēl, et dormīvit in locō suō. Et vēnit Dominus, et astitit, et vocāvit, Samuēl? Samuēl? Et respondit Samuēl: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Et dīxit Dominus Samuēlī: Ecce ego eam rem faciam in Israēle; quam quīcumque audīret, tinnient ambae aurēs eius; et māgnō terrōre concutiētur. Quae adversus Heli et domum eius locūtus sum, omnia complēbō: eō quod nōverit indignē agere fīliōs suōs, neque tamen corripuit eōs. Idcircō iūrāvī domuī Heli inīquitātem eius: nōn expiātam īrī in aeternum victimīs et mūneribus. Dormīvit Samuēl usque ad lūcem, aperuitque ōstia domūs Dominī, et timēbat indicāre vīsiōnem Heli. Quī vocāvit eum, et dīxit. Samuēl, fīlī mī. Quī respondit: Praestō sum.

Et interrogāvit eum, Quaenam sunt ea, dē quibus tē allocūtus est Dominus? ōrō tē nē cēlāverīs mē. Indicāvit itaque eī Samuēl omnia verba Dominī, et nihil abscondit.

Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculīs suīs faciat. Crēvit autem Samuēl, et Dominus erat cum eō: et nūllum verbum prōtulit quod fuerit irritum. Et cōgnōvit ūniversus Israēl ā Dan. usque Bersabēe, Samuēlem fidēlem esse Prophētam Dominī.



50
MORS HELI ET FILIORUM

¶ Aliquot annīs post prōnūnciātam Samuēlī ā Deō domūs Heli ruīnam, Israēlītae ā Philistaeīs victī, arcam foederis Dominī in aciem sēcum dētulērunt, futūrum spērantēs ut servāret eōs ab hostibus. Sed iterum caesī sunt, et fūgit ūnusquisque in tabernāculum suum, et tanta clādēs accepta est, ut caderent, ex Israēle trīgintā millia peditum. Quīn etiam arca Deī capta est. Duo quoque fīliī Heli mortuī sunt, Ophni et Phinees. Currēns autem vir ex aciē, vēnit Silō diē illā, scissā veste, et cōnspersus: pulvere caput. Sedēbat tunc Heli super sellam contrā viam spectāns. Erat enim cor eius pavēns prō arcā Deī. Vir autem ille postquam urbem ingressus est, nūnciāvit clādem Israēlītārum: et ululāvit omnis cīvitās.

prōnūntiō < prō + nūntiāre

clādēs “Sed urbem ex clāde servāre nōn poterat.” (Pro patria 5)

Et audīvit Heli sonitum clāmōris, dīxitque: Quis est hic tumultus? At ille festīnāvit, et vēnit, et nūnciāvit Heli; dīxitque; Ego sum quī vēnī ē praeliō, et ego quī ex aciē fūgī hodiē. Cui Heli: Quid āctum est, ait, fīlī mī? Respondēns

tumultus = turba

autem ille quī nūnciābat: Fūgit, inquit, Israēl cōram Philisthaeīs et ruīna māgna facta est in populō. Īnsuper et duo filiī tuī mortuī sunt, Ophni et Phinees; et arca Deī capta est. Cumque ille nōmināsset arcam Deī, cecidit dē sellā retrorsum iuxtā ōstium, et frāctīs cervīcibus mortuus est. Erat autem tunc senex, et nōnāgintā et octō annōrum, atque eius oculī cālīgāverant, nec vidēre poterat. Nurus autem eius, uxor Phīnēae, praegnāns erat, vīcīnaque partuī: et auditō nūntiō quod capta esset arca Deī, et mortuus esset socer suus, et vir suus, irruērunt in eam dolōrēs subitī, peperitque; et mortua est.

retrorsus "Iordānis conversus est retrorsum." (Psalmus 113, 1–10)
nōnāgintā "Vīxit vērō Enos nōnāgintā annīs, et genuit Cainan." (Genesis 5, 8–16)
partus < parere
subeō < sub + īre

51

TOBIAE IN DEUM PIETAS, CONIUGIUM: FILIUS

¶ Tobiās, ex Tribū et cīvitāte Nephtali cuncta Deī mandāta puerulus observābat; et cum iūnior esset omnibus in Tribū suā; nihil tamen puerīle exhibuit opere. Dum omnēs īrent adōrandum vitulōs aureōs, quōs ōlim ērēxerat Ieroboamus, prīmus rēx Israēlis, hic sōlus eōrum societātem fugiēns, ībat Hierosolymam ad Templum Dominī; ibi Deum patrum suōrum adōrābat, prīmitiās omnēs suās et decimās religiōsē offerēns. Proselytis etiam et advenīs multa ērogābat tertiō quoque annō secundum lēgem Deī. Postquam ad aetātem virīlem pervēnit, uxōrem dūxit Annam ē Tribū suā, genuitque ex eā fīlium, cui nōmen suum imposuit, et quem ab īnfantiā timēre Deum, atque ab omnī peccātō abstinēre, docuit.

puerulus < puer
puerilis < puer
societās < socius
primitiae < primus
abstineō < ab + tenēre

52

TOBIAE BENIGNITAS IN CAPTIVITATIS SUAE SOCIOS

¶ Cum Salmanasarus Assyriōrum Rēx, captā urbe Samarīā, et Osee Rēge Israēlis in carcerem missō trānstulisset Israēlītās in Assyriam; omnem Tribum Nephthali, et Tobiam cum uxōre et fīliō quatuor circiter annōrum puerō in cīvitātem Ninivem addūxit. Sed Tobiās in captīvitātem redactus, nihil dē solitā in Deum pietāte, aut in hominēs benīgnitāte remīsit. Omnia, quae habēre poterat, captīvīs

circiter "Erat autem beātus Vitus annōs nātus circiter duodecim." (Acta martyrum 27)
benignitās "Omnis benignitās properat; et proprium est libenter facientis, cito facere." (Heuzet, Selectae e profanis 3.72)

frātribus suīs quotīdiē impertiēbat, et cum iī omnēs iīsdem; quibus gentēs, cibīs vescerentur, ipse animam suam pūram custōdīvit, nec unquam contāmināt̄us est eiusmodī escīs. Et quoniam memor fuit Dominī tōtō corde suō, dedit eī Deus grātiam apud Rēgem Salmanasarum, ā quō accēpit potestātem eundī quōcumque vellet, et quidquid libuisset faciendī lībertātem. Itaque ad quōscumque adībat, ē gente suā captīvitātis sociōs commeābat, et eōs monitīs salūtāribus īnstruēbat. Quīn etiam, cum Gabēlum quemdam, quī erat ex eādem Tribū, egentem vīdisset: decem talenta argentī, quibus ā Rēge dōnātus fuerat, eī acceptō chīrographō commodāvit perhūmāniter.

impertiō = tribuō

contāminō = polluō

libet “Id facere laus est quod licet, nōn quod libet.” (Heuzet, Selectae e profanis 5.44)

salūtāris < salūs

egeō = indigeō

53

TOBIAS MORTUOS CUM VITAE PERICULO SEPELIT

¶ Post multum vērō temporis, mortuō Rēge Salmanasarō, Sennacheribus fīlius eius, patrī in rēgnum successit. Hic cum Isrāēlītās exōsōs habēret, neque eōrum cōnspectum ferre posset: Tobiās singulīs diēbus invīsēbat omnem cōgnātiōnem suam, et cōnsōlābātur eōs, dīvidēbatque ūnīcuique, prout poterat, dē facultātibus suīs. Ēsurientēs alēbat, nūdīs vestīmenta praebēbat, mortuīs sepultūram sollicitus exhibēbat; et sepeliēbat, corpora eōrum, quōs interficī iubēbat Sennacheribus, quī ex Iūdaeā reversus fuerat. Īra enim incēnsus erat ob acceptam clādem, quā eum Deus in ultiōnem nōminis suī verbīs impiīs lacessītī affēcerat. Quod ubi nūnciātum est Rēgī, Tobiam iussit occīdī, et omnēs eius facultātēs abstulit.

prout “Dīvidēbātur autem singulīs prout cuique opus erat.” (Actus 4, 32–37)

sollicitus “Dominus sollicitus est meī.” (Psalmus 39, 14–18)

At Tobiās cum fīliō suō et uxōre fugiēns, bonīs cunctīs spoliātus, ac nūdus, facile latuit, quia multī dīligēbant eum, post diēs vērō quadrāgintā quīnque occīdērunt Rēgem fīliī ipsīus, et reversus est Tobiās domum suam; eīque ūniversae rēs suae fuērunt restitūtae. Deinde cum esset diēs festus Dominī, Tobiās lautō convīviō domī parātō, dīxit fīliō suō: Vāde, et addūc aliquōs ē Tribū nostrā timentēs Deum, ut epulentur nōbīscum. Pāruit ille, et reversus nūnciāvit patrī, ūnum ex Isrāēlītīs iugulātum iacēre in plateā. Exiliēns statim

iugulō = occīdō

Tobiās ā mēnsā cui accumbēbat, relictō prandiō, ieiūnus pervēnit ad corpus exanime et sublātum portāvit in aedēs suās occultē, ut, postquam sōl occubuisset, tūtō sepelīret.

Occultātō cadāvere, comēdit pānem cum luctū et tremōre in memoriam revocāns quae dīxit Dominus per Amos Prophētam: Diēs festī vestrī convertentur in lāmentātiōnem et luctum. Atque ubi sōl occidit, corpus domō extulit Tobiās, et sepulchrō mandāvit. Arguēbant quidem eum omnēs proximī dīcentēs: Iam huius reī causā interficī iussus es, vixque mortem effūgistī, et iterum sepelīs mortuōs? Sed ille, sprētīs tālibus obiurgātiōnibus, et magis timēns Deum quam Rēgem, rapiēbat corpora occīsōrum et ea in domō suā interdiū abdita, mediīs noctibus condēbat tumulō.

accumbō < ad + cumbere
prandium "Ut in prandiō edendō gaudēbam!" (Pons tironum 9)
tūtō "Nōndum enim illī tē tūtō commīseris." (Heuzet, Selectae e profanis 5.25)
spernō "Quī autem mē spernit, spernit eum quī mīsit mē." (Lucas 10, 13–16)
interdiū < inter + diū
abdō = abscondō

54
TOBIAE CAECITAS ET PATIENTIA

¶ Dum autem quādam diē fatīgātus praestandō mortuīs solitō sepultūrae officiō, incubuisset parietī, atque abdormisset, contigit ut ex nīdō hirundinum calida stercora in oculōs dormientis inciderent, fieretque caecus. Hanc porrō tentātiōnem ideō permīsit Dominus ēvenīre illī, ut posterīs darētur exemplum patientiae eius, sīcut et sanctī Iōbī. Nam cum ab īnfantiā suā semper Deum timuisset, eiusque mandāta servāsset; nihil adversus Dominum conquestus est, quod haec plāga caecitātis sibi accidisset; sed immōbilis in eius timōre permānsit, eīque grātiās ēgit omnibus diēbus vītae suae. Quemadmodum autem beātō Iōbō īnsultābant Rēgēs, ita affīnēs, et cōgnātī Tobiae irrīdēbant vītam eius, dīcentēs; Ubi est spēs tua, prō quā eleemosynās faciēbās, et sepeliendīs mortuīs operam dabās?

At ille increpāns eōs: Nōlīte, inquiēbat, ita loquī: quoniam fīliī sanctōrum sumus et vītam illam expectāmus quam Deus datūrus est hīs, quī datam illī fidem nunquam fallunt. Anna vērō uxor eius ībat quotīdiē ad texendam tēlam, et quem labōre manuum suārum cōnsequī vīctum poterat, eum referēbat domum. Unde factum est, ut aliquandō hoedus ab eā afferrētur. Cuius cum vōcem bālantis vir eius audīsset,

fatīgō "Iēsūs ergō fatīgātus ex itinere, sedēbat sīc suprā fontem." (Ioannes 4, 1–10)
incubō < in + cubāre
tentātiō "Et nē nōs indūcās in tentātiōnem." (Lucas 11, 1–4)
caecitās < caecus
cōgnātus "Nātūra nōs cōgnātōs ēdidit." (Heuzet, Selectae e profanis 3.4)
eleemosyna "Vendite quae possidētis, et date eleemosynam." (Lucas 12, 28–34)
fallō = dēcipiō

dīxit; Vidēte nē forte furtīvus sit: reddite eum dominīs suīs. Quia nōn licet nōbīs aut edere ex fūrtō aliquid, aut contingere. Ad haec īrāta coniux respondit; Manifestē vāna est spēs tua: ēn quō ēvāsērunt eleemosynae tuae. Hīs atque aliīs huiuscemodī verbīs marīta uxor exprobrābat.

maritō cf. marītus

55

TOBIAS MORTEM OPTAT, ET PECCATORUM VENIAM POSTULAT A DEO

¶ Tunc Tobiās ingemuit, et coepit ōrāre Deum cum lacrymīs, dīcēns; Iūstus es Domine, et omnia iūdicia tua iūsta sunt: et omnēs viae tuae misericordia, vēritās, et iūdicium. Nunc Domine, memor estō meī; neque vindictam sūmās dē peccātīs meīs: nec reminīscāris dēlicta mea, vel parentum meōrum. Quoniam nōn obēdīvimus praeceptīs tuīs, ideō trāditī sumus in dīreptiōnem, et captīvitātem et mortem, et in fābulam, et lūdibrium omnibus nātiōnibus, inter quās dispersistī nōs. Māgna, Domine, et iūsta iūdicia tua, quia nōn ēgimus secundum praecepta tua; neque nōs sincērē gessimus cōram tē. Fac itaque nunc prō voluntāte tuā mēcum, et praecipe in pāce recipī spīritum meum: expedit enim mihi morī magis quam vīvere.

expediō "Omnia mihi licent, sed nōn omnia expediunt." (I ad Corinthios 10, 14–23)

56

TOBIAE MONITA AD FILIUM

¶ Cum Tobiās putāret exaudītās esse ā Deō precēs suās, et sibi mortem īnstāre; vocātō ad sē fīliō dīxit: Audī, fīlī mī, verba ōris meī, et ea in corde tuō repōne, velutī fundāmentum vītae sapienter īnstituendae. Omnibus autem diēbus vītae tuae in mente habētō Deum, et cavē nequando peccātō cōnsentiās; et praetermittās praecepta Dominī Deī nostrī. Ex facultātibus tuīs fac eleemosynam, et nōlī āvertere faciem tuam ab ūllō paupere: ita enim fiet, ut nec ā tē āvertātur faciēs Dominī. Quōmodo potueris, ita estō misericors. Sī multum tibi fuerit, abundanter tribue: sī exiguum, etiam dē istō exiguō libenter impertīrī studē. Thēsaurum bonum ac praemium tibi recondēs in diē necessitātis.

īnstō < in + stāre

velutī = velut

nequando = nē

praetermittō < praeter + mittere

exiguus = parvus

praemium "Hodiē Marcō praemium dō." (Primus Annus 23)

recondō = abscondō

Quoniam eleemosyna ab omnī peccātō, et ā morte līberat, et nōn patiētur animam īre in tenebrās. Fīdūcia māgna erit cōram summō Deō eleemosyna omnibus facientibus eam. Superbiam nunquam in animō tuō, aut in sermōne tuō dominārī permittās; ab ipsā enim initium sūmpsit omne malum. Quīcumque prō tē aliquid operis fēcerit, statim eī mercēdem restitue, et mercēs mercēnāriī tuī apud tē omnīnō nōn remaneat. Quod ab aliō ōderis fierī tibi, vidē nē tū aliquandō alterī faciās. Pānem tuum cum ēsurientibus et egēnīs comede, et vestīmentīs tuīs nūdōs tege. Pānem tuum mandūcāre, et vīnum tuum bibere nōlī cum peccātōribus. Cōnsilium semper ā sapiente perquīre.

mercēnārius "Advena et mercēnārius nōn edent ex eō." (Exodus 12, 43–51)

perquīrō < per + quaerere

Omnī tempore benedīc Deum, et pete ab eō ut viās tuās dīrigat, et omnia cōnsilia tua in ipsō permaneant. Cum accēperit Deus animam meam, corpus meum sepelī; et honōrem habēbis mātrī tuae omnibus diēbus vītae eius. Memor enim esse dēbēs quae et quanta perīcula passa sit in uterō suō propter tē. Cum autem et ipsa complēverit tempus vītae suae, sepelī eam prope mē. Indicō etiam tibi, fīlī mī, commodāvisse mē decem talenta argentī, dum adhūc īnfantulus essēs, Gabēlō in cīvitāte Mēdōrum nōmine Rages; et chīrographum eius apud mē habeō. Ideō perquīre quōmodo ad eum perveniās, et recipiās ab eō suprā memorātum pondus argentī, suumque eī chīrographum restituās.

memorō cf. memor

Nōlī timēre, fīlī mī, pauperem quidem vītam dūcimus sed multa bona habēbimus, sī timuerimus Deum, et recesserimus ab omnī peccātō et fēcerimus bene. Tunc Tobiās respondit patrī suō, et dīxit. Omnia quaecumque praecēpistī mihi, faciam, pater. Quōmodo autem pecūniam illam recipiam īgnōrō: Gabēlus ille mē nescit, et ego eum īgnōrō: quod sīgnum dabō eī? sed neque viam, quā perveniātur illūc, cōgnōvī. Cui pater: Chīrographum, inquit, illīus penes mē est, quod cum illī ostenderis, statim pecūniam redditūrus est. Sed abī nunc et inquīre tibi aliquem fidēlem virum, quī eat tēcum salvā mercēde suā: ut, dum adhūc vīvō, dictam summam argentī accipiās.

inquīrō < in + quaerere

57

TOBIAE FILIO COMITEM SE PRAEBET ANGELUS

¶ Tunc ēgressus Tobia, invēnit iuvenem splendidum, stantem praecinctum, et quasi parātum ad proficīscendum aliquō. Et īgnōrāns quod Angelus Deī esset, salūtāvit, dīxitque. Unde tē habēmus bone iuvenis? At ille respondit; Ex Israēlītīs. Et Tobiās dīxit eī: Nōstī viam quae dūcit in regiōnem Mēdōrum? Nōvī, inquit ille, et omnia itinera eius frequenter perambulāvī, et mansī apud Gabēlum frātrem nostrum, quī morātur in Rages quae cīvitās est Mēdōrum. Cui Tobiās ait: Expectā paullulum, obsecrō, dōnec haec ipsa nūnciem patrī meō. Tunc domum ingressus Tobiās indicāvit ūniversa patrī suō. Quae ille admīrātus, dīxit rogandum esse iuvenem illum ut introīret ad sē. Ingressus itaque Tobiam salūtāvit, dīxitque eī. Gaudium tibi sit semper. Respondit Tobiās.

Quāle gaudium mihi erit: quī in tenebrīs sedeō, et lūmen coelī, nōn videō? Cui Angelus: Fortī animō estō: brevī enim futūrum est, ut tē sānet Deus: Dīxit deinde illī Tobiās: Numquid poteris perdūcere filium meum ad Gabēlum in cīvitātem Mēdōrum Rages? et cum redieris tuam tibi mercēdem solvam. Et dīxit eī Angelus: Ego dūcam et redūcam eum ad tē. Cui Tobiās respondit: Rogō tē, indicā mihi dē quā domō, aut dē quā tribū sīs tū? Cuius generis sit quī cum fīliō tuō itūrus est, nōn rēfert, inquit Raphaēl Angelus, nē forte tamen tē sollicitum reddam, ego sum Azariās Ananīae māgnī fīlius.

Tum Tobiās: Ex māgnō genere es tū: Cēterum petō nē īrāscāris, quod voluerim cōgnōscere genus tuum. Ego, inquit Angelus: sānum dūcam et sānum ad tē redūcam filium tuum. Respondēns autem Tobiās ait: Vōbīs euntibus omnia fausta ēveniant; precor sit Deus in itinere vestrō, et Angelus eius vōs comitētur. Parātīs itaque omnibus quae erant asportanda, valē dīxit Tobiās parentibus, dedēruntque sē in viam ambō simul, et canis secūtus est eōs.

comitor cf. comes

58

FLENTEM TOBIAE MATREM CONSOLATUR CONIUX

¶ Cum profectus esset Tobiās coepit māter eius flēre, et marītō dīcere: Baculum senectūtis nostrae abstulistī, et trānsmīsistī ā nōbīs. Utinam numquam fuisset ipsa pecūnia, prō quā mīsistī eum. Sufficiēbat enim nōbīs paupertās nostra, ut dīvitiās putārēmus hoc, quod vidēbāmus filium nostrum. Dīxitque eī marītus: Nōlī flēre. Salvus perveniet in Mēdiam filius noster, et salvus revertētur ad nōs, et oculī tuī iterum eius cōnspectū fruentur. Crēdō enim Angelum Deī bonum comitem illī adesse, et bene dispōnere omnia quae circā eum geruntur ita ut cum gaudiō revertātur ad nōs. Ad haec verba cessāvit mulier flēre, et tacuit.

trānsmittō < trāns + mittere
utinam "Sed utinam nōn rogāvissem!" (Puer Romanus 12)
paupertās "Quam parum paupertātem timet!" (Heuzet, Selectae e profanis 4.9)

fruor = ūtor

59

TOBIAS LIBERATUS A PISCE VENIT AD RAGUELEM

¶ Intereā Tobiās et Angelus iter facientēs, pervēnēre ad Tigris fluvium in cuius rīpā nocte prīmā mansērunt. Cumque adolēscēns ad abluendōs pedēs accessisset: ecce piscis immānis exīvit ad dēvorandum eum: Ad cuius aspectum expavēscēns; clāmāvit vōce māgnā: Domine invādit mē. Cui Angelus: Apprehende branchiam eius, et trahe eum ad tē. Quod cum ille fēcisset; attractus piscis in siccum palpitāre coepit ante pedēs eius. Tunc dīxit Angelus. Exenterā hunc piscem; et cor autem eius, et fel, et iecur repōne tibi: sunt enim haec necessāria ad quaedam medicāmenta. Fēcit Tobiās quae iussus erat ab Angelō: deinde assāvērunt carnis partem, quam comederent: caetera saliērunt, quae sufficerent eīs, dōnec susceptum iter cōnfēcissent.

Ut appropinquāvērunt urbī quae Ecbatana vocābātur, dīxit Tobiās Angelō. Ubi vīs ut maneāmus? Est hīc, inquit Angelus, vir nōmine Raguel, propinquus tuus, ē Tribū tuā, et hic habet fīliam nōmine Sāram, nūllumque masculum neque faeminam ūllam habet aliam, praeter eam. Tibi dēbentur omnēs facultātēs eius, et oportet tē accipere eam coniugem, ut quī sōlus supersīs ex genere ipsīus. Pete ergō eam ā patre

expavēscō "Proprium est nocentium timēre semper et expavēscere." (Heuzet, Selectae e profanis 5.37)
invādō "Ingentī igitur cum exercitū in Ītaliam invādere cōnstituit." (Primus Annus 35)
attrahō < ad + trahere
fel "Tulit itaque Tobiās ex felle illō, et abiērunt." (Tobias 11, 1–6)

saliō āgnī nōn ambulant sed saliunt

eius, et tibi eam dabit in uxōrem. Audīvī inquit Tobiās, puellam illam iam septem virīs fuisse in mātrimōnium datam, mortuōsque esse eōs omnēs ā Daemone occīsōs.

Timeō ergō nē forte et mihi similis calamitās ēveniat; et cum sim ūnicus parentibus meīs fīlius, dēdūcam senectūtem illōrum cum tristitiā ad sepulchrum. Tunc Angelus Raphaēl dīxit eī: Audī mē, et ostendam tibi quibus possit praevalēre Daemonium. Quī coniugium ita suscipiunt, ut Deum ā sē, et ā suā mente exclūdant, et suae libīdinī vacent ita, sīcut equus et mūlus, quibus nōn est intellectus, habet potestātem in eōs Daemonium. Tū autem eam accipiēs in coniugem cum timōre Dominī; nōn libīdine ductus, sed amōre līberōrum, per quōs prōmissam ā Deō sēminī Abrahae benedictiōnem cōnsequāris.

exclūdō < ex + claudere

intellectus < intellegere

60

TOBIAE SARA UXOR DATUR

¶ Hīs dictīs: ingressī sunt domum Raguēlis. quī suscēpit eōs cum gaudiō, intuēnsque Tobiam: dīxit Annae uxōrī suae. Quam similis est iuvenis hic iste cōnsōbrīnō meō! Et ad hospitēs conversus; Unde estis, iuvenēs frātrēs nostrī? Ex Tribū Nephthali, inquiunt, sumus ex captīvitāte Ninive adductī. Rūrsum ille: nōstis, inquit, Tobiam frātrem meum? Nōvimus: respondērunt. Cumque multa bona Raguel loquerētur dē eō: dīxit illī Angelus: Tobiās, dē quō interrogās pater huius est. Tum exiliēns Raguel ōsculātus est eum cum lacrymīs, collumque eius amplexātus, dīxit benedictiō sit tibi, fīlī mī, quia bonī, et optimī virī fīlius es. Et Anna uxor eius, et Sāra ipsōrum fīlia, lacrymātae sunt.

lacrimō cf. lacrima

Deinde praecēpit Raguel occīdī arietem, et parārī convīvium. Cumque hortārētur advenās, ut discumberent ad prandium, Hīc ego hodiē nōn mandūcābō, inquit Tobiās, neque bibam nisi prius petītiōnī meae annueris, et prōmīseris tē mihi datūrum Sāram fīliam tuam in uxōrem. Quō audītō expāvit Raguel, sciēns quid ēvēnisset septem illīs virīs quibus anteā fīlia nupserat, et timēns, nē forte et huic idem malum contingeret. Cum ergō dubitāret, neque petentī quidquam

hortor “Quāre mātrem rēx hortātus est, ut fīliō suādēret imperāta facere.” (Epitome Historiae Sacrae 193)

discumbō “Et praecēpit turbae discumbere super terram.” (Marcus 8, 1–9)

anteā “Omnia eōdem modō atque anteā facta sunt.” (Fabulae faciles 98)

respōnsī daret; dīxit eī Angelus: Nōlī timēre, fīliam tuam huic spōnsam dare, quoniam tālī virō timentī Deum, dēbētur coniux fīlia tua; propterea nēmō alius potuit habēre illam.

Tunc dīxit Raguel: Nōn dubitō, quīn Deus precēs, et lacrymās meās respexerit, et crēdō ab ipsō hūc ideō adductōs fuisse vōs, ut nāta mea virō cōgnātiōnis suae secundum lēgem Mōsis iungerētur. Itaque nōlī dubium habēre, quīn eam tibi iam nunc sim trāditūrus. Tum apprehendēns dextram fīliae suae, dexterae Tobiae applicuit dīcēns: Deus Abrahamī, et Deus Isaacī, et Deus Iācōbī vōbīscum sit, et ipse coniungat vōs, impleatque benedictiōnem suam in vōbīs. Et acceptā chartā, fēcērunt cōnscriptiōnem coniugiī: et epulātī sunt benedīcentēs Deō.

dubius "Fenestram apertam vīdit; nōn dubium erat quīn omnēs iam dormīrent." (Pons tironum 12)

coniungō < con- + iungere



61

TOBIAE ET SARAE PRECES AD DEUM

¶ Postquam coenāvērunt, et in cubiculum Sārae Tobiās est intrōductus, memor ille praeceptōrum Angelī. Exurge, inquit, Sāra, et dēprecēmur Deum hīs tribus noctibus, filiī quippe sanctōrum sumus, et nōn possumus mātrimōniō coniungī sīcut gentēs, quae īgnōrant Deum. Itaque īnstanter ōrārunt ambō simul, ut sānitās sibi concēderētur dīxitque Tobiās Domine, Deus patrum nostrōrum, benedīcant tibi caelum, et terra, mareque et fontēs, et flūmina, et quaecumque ā tē creāta in eīs sunt. Tū fēcistī Adāmum ē līmō terrae, et dedistī eī adiūtōrium Hēvam. Et nunc, Domine, tū scīs mē nōn luxuriae causā accipere sorōrem meam coniugem, sed sōlō amōre posteritātis, in quā benedīcātur nōmen tuum per cunctās aetātēs. Dīxit quoque Sāra: Miserēre nostrī, Domine, miserēre nostrī, et cōnsenēscāmus ambō pariter sānī.

īnstanter = vehementer

sānitās < sānus



62

DE INCOLUMITATE NOVORUM CONIUGUM GRATIAS AGIT DEO RAGUEL

¶ Circā gallōrum cantum accersīrī iussit Raguel servōs suōs, et abiērunt ūnā cum eō ut foderent sepulchrum. Dīcēbat enim: Fortasse et hic mortem oppetierit similī modō quō et cēterī septem illī priōrēs virī. Cumque parāssent fossam reversus Raguel ad uxōrem suam, dīxit eī: Mitte ūnam ex ancillīs tuīs, et videat an mortuus sit iuvenis ille, ut sepeliam eum antequam ēlūcēscat diēs. At illa mīsit ūnam ex ancillīs suīs, quae ingressa cubiculum reperit ambōs salvōs et incolumēs, sēcum pariter dormientēs, et reversa attulit bonum nūncium. Tum grātiās agentēs Deō Raguel et Anna dīxērunt; Benedīcimus tibi, Domine Deus Israēlis, quia nōn contigit quemadmodum putābāmus.

Tuā enim misericordiā ergā nōs ūsus es, et exclūsistī ā nōbīs inimīcum persequentem nōs; Misertus es autem duōrum ūnigenitōrum. Fac eōs, Domine, plēnius tibi benedīcere, sacrificiumque tibi laudis dēbitae prō suā salūte offerre; ut omnibus gentibus innōtēscat tē esse Deum sōlum

cantus < canere

accersiō “Statimque accersīrī eum facient, et interrogābunt.” (Deuteronomium 25, 5–10)

fodiō “Et cum fōdissem parietem, appāruit ōstium ūnum.” (Ezechiel 8, 4–8)

oppetō = morior

incolumis = salvus

plēnē < plēnus

innōtēscō “Domine, quid est homō, quia innōtuistī eī?” (Psalmus 143, 1–7)

in ūniversā terrā. Statimque praecēpit servīs suīs Raguel, ut, antequam ēlūcēsceret, replērent fossam, quam fēcerant; Uxōrī vērō suae mandāvit, ut īnstrueret convīvium, et praeparāret omnia, quae ad vescendum erant iter facientibus necessāria. Ipse duās pinguēs vaccās, et quatuor arietēs occīdī cūrāvit, epulāsque omnibus vīcīnīs suīs, atque amīcīs apparārī. Tobiam, ut duās hebdomadas apud sē morārētur, obtestātus est, eīque omnium, quae possidēbat, bonōrum dīmidiam partem dedit, scrīptō cōnfirmāns; partem alteram, quae supererat, in eius dominium dēventūram post suum et uxōris obitum.

epulum = convīvium

apparō < ad + parāre

dominium cf. dominārī

dēveniō < dē + venīre

63

GABELUS AB ANGELO ADDUCITUR AD NUPTIAS

¶ Post haec Tobiās vocātō ad sē Angelō, quem quidem hominem esse existimābat, dīxit, Azaria frāter, petō ut auscultēs verba mea. Sī mēipsum trādam tibi servum, parem prōvidīs cūrīs tuīs grātiam nōn praestābō. Hoc tamen tē praetereā obsecrō, ut assūmptīs tēcum iūmentīs vel servitiīs, hinc vādās ad Gabēlum in Rages cīvitātem Mēdōrum, et redditō eī chīrographō suō recipiās ab eō parentis meī pecūniam, rogēsque eum, ut veniat ad nuptiās meās. Pater enim meus, ut scīs numerat diēs: et sī tardāverō ūnō diē plūs, contristābitur vehementer. Vīdistī autem quōmodo obtestātus mē sit Raguel, ut apud eum manērem, cuius obtestātiōnēs aspernārī nōn possum.

auscultō = audiō

pār = aequus

servitium = servitūs

nuptiae “Vocātus est autem et Iēsūs, et discipuli eius, ad nuptiās.” (Ioannes 2, 1–8)

Tunc Raphaēl assūmēns quatuor ē servīs Raguēlis et duōs camēlōs, perrēxit Rages, et inventō Gabēlō reddidit chīrographum suum, recēpitque ab eō omnem pecūniam. Indicāvit etiam eī dē Tobiae fīliō, quaecumque nūper gesta erant, persuāsitque ut sēcum venīret ad nuptiās. Ingressus domum Raguēlis Gabēlus, invēnit Tobiam discumbentem. Quī cum ā mēnsā exiliisset ōsculātī sunt sē invicem, obortaeque sunt Gabēlō lacrymae benedīxitque Deum, et dīxit Tobiae: Benedīcat tibi Deus Israēlis, quia fīlius es optimī virī, et iūstī, et timentis Deum, et eleemosynās facientis. Effundātur quoque super uxōrem tuam, et super

oborior < ob + orīrī

parentēs vestrōs omne bonum: et videātis fīliōs vestrōs et fīliōs fīliōrum vestrōrum usque in tertiam et quartam generātiōnem. Et sēminī vestrō benedīcātur ā Deō Israēlis, quī rēgnat per cuncta saecula. Et cum omnēs dīxissent: Āmēn, accessērunt ad convīvium. Sed et cum timōre Dominī nuptiārum convīvium celebrārunt.

64

TOBIAS PATER ET ANNA DOLENT DE LONGA FILII ABSENTIA

¶ Cum morās faceret Tobiās causā nuptiārum, solicitus erat pater eius, dīcēns. Cūr ergō morātur fīlius meus, aut quārē dētentus est ibi? an Gabēlus mortuus est, et nēmō reddet illī pecūniam? Coepēruntque ipse et Anna uxor eius valdē contristārī, et ambō simul flēre, eō quod diē statūtō minimē reverterētur fīlius eōrum ad eōs. Flēbat igitur māter eius irremediābilibus lacrymīs, atque dīcēbat: Heu heu mē, fīlī mī! ut quid tē peregrīnārī permīsimus, lūmen oculōrum nostrōrum, baculum senectūtis nostrae! sōlātium vītae nostrae, spem posteritātis nostrae! omnia simul in tē ūnō habentēs, tē nōn dēbuimus dīmittere ā nōbīs. At Tobiās: Tacē, inquiēbat, et nōlī turbārī: sānus est fīlius noster: satis fidēlis est vir ille cum quō mīsimus eum. Illa autem nūllam admittere poterat cōnsōlātiōnem, sed quotīdiē forās ēgressa circumspiciēbat, et circuībat viās omnēs per quās fīlium suum reditūrum esse spērābat ut procul vidēret eum; sī fierī posset, venientem.

dētineō < dē + tenēre

sōlācium "Vānum est et breve omne hūmānum sōlācium." (De imitatione Christi 3, 16)

admittō < ad + mittere

circumspiciō "Et circumspiciēbat vidēre eam, quae hoc fēcerat." (Marcus 5, 29–34)

65

RAGUEL GENERUM ET FILIAM TANDEM DIMITTIT

¶ Intereā Raguel generō suō dīcēbat: Manē hīc, et ego ad patrem salūtis tuae nūntium mittam. Cui Tobiās respondēbat; Dīmitte mē quam prīmum, obsecrō; nōvī enim parentēs meōs computāre nunc diēs, et animō suprā modum cruciārī. Cum autem multīs verbīs rogāret Raguel Tobiam, nec exōrāre ūllā ratiōne posset, trādidit tandem eī Sāram, et dīmidiam partem omnium facultātum suārum, tam

computō < con- + putāre

exōrō < ex + ōrāre

servōrum servārumque, quam pecudum, camēlōrum, et vaccārum, atque etiam pecūniae, quam multam habēbat. Et salvum atque gaudentem dīmīsit eum ā sē, dīcēns: Angelus Dominī sanctus sit itinere vestrō, perdūcatque vōs incolumēs, et inveniātis circā parentēs vestrōs rēctē sē habentia, et videant oculī meī filiōs vestrōs priusquam moriar. Tum pater et māter fīliam suam ōsculātī cum lacrymīs abīre permīsērunt, monentēs eam, ut honōrāret socerōs, dīligeret marītum, regeret familiam, gubernāret domum, et sē ipsam irrepraehensam exhibēret.

priusquam = antequam

66

REVERSUS DOMUM TOBIAS PATRI VISUM RESTITUIT

¶ Postquam per undecim diēs itinere factō perventum est ad urbem Charan, sitam in viā quae dūcēbat Ninivēn, placuit Angelō et Tobiae ut reliquum iter cōnficerent sōlī quantōcyus dum eōs Sāra lentō gradū sequerētur cum omnī familiā et iūmentīs. Intereā Anna sedēbat secus viam quotīdiē in superciliō montis, unde prōspicere in longinquum posset. Et dum ex eōdem locō speculābātur adventum fīliī, vīdit tandem procul et illicō āgnōvit eum venientem: currēnsque nūnciāvit virō suō. Ecce venit fīlius tuus.

secus "In illō diē exiēns Iēsūs dē domō, sedēbat secus mare." (Matthaeus 13, 1–9)
supercilium "Illō mortuō in montis superciliō, dēscendit cum Eleazarō." (Numeri 20, 22–30)
speculor = spectō

Dīxit autem Raphaēl Tobiae: Ubi domum introieris, statim adōrā Dominum Deum tuum et grātiās agēns eī, accēde ad patrem tuum, et ōsculāre eum: tum linī oculōs eius istō, quod portās tēcum, felle piscis; sciās enim mox apertum īrī oculōs patris, vīsūrumque eum lūmen coelī et aspectū tuō gāvīsūrum. Tunc praecucurrit canis, quī simul fuerat in viā, et quasi nūncius adveniēns, blandīmentō caudae suae gaudēbat. Cōnsurgēns vērō caecus pater, coepit offendēns pedibus currere, et datā manū servō occurrit obviam fīliō suō, suscipiēnsque eum, ōsculātus est cum uxōre suā, et coepērunt ambō ūberēs lacrymās fundere prae gaudiō. Cumque Deum adōrāssent; et grātiās ēgissent, cōnsēdērunt; deinde felle piscis linīvit Tobiās oculōs patris suī.

praecurrō < prae + currere

Et post dīmidiam fermē hōram coepit albūgō ex oculīs eius, quasi membrāna ōvī ēgredī: quam cum fīlius

apprehēnsam ab oculīs patris traxisset, vīsum ille recēpit statim. Et collaudābant Deum, ipse vidēlicet et uxor eius, et omnēs quī cōgnōscēbant eum, dīcēbatque Tobiās: Benedīcō tē, Domine, Deus Israēlis, quia tū castīgāstī mē, et tū salvāstī mē; et ecce videō Tobiam fīlium meum. Vēnit etiam post septem diēs Sāra uxor fīliī eius, et omnis familia sāna, et pecora, et camēlī, et pecūnia multa uxōris: praeter eam quae recepta erat ē manibus Gabēlī. Laetus nārrāvit parentibus suīs Tobiās omnia Deī beneficia, sibi praestita operā illīus quem itineris ducem habuerat, quemque hominem esse putābat. Vēnēruntque Achior, et Nabath cōnsōbrīnī Tobiae, gaudentēs ad Tobiam et congrātulantēs eī dē omnibus bonīs; quae contulerat in eum Deus, et per septem diēs epulantēs, omnēs cum gaudiō māgnō gāvīsī sunt.

vīsus < vidēre

collaudō < con- + laudāre
vidēlicet = scīlicet

castīgō "Ego quōs amō, arguō, et castīgō." (Apocalypsis 3, 14–19)

67

ANGELUS ORATUS UT MERCEDEM ACCIPIAT, APERIT QUIS SIT

¶ Hīs trānsactīs vocāvit ad sē Tobiās pater fīlium dīxitque eī: Quid possumus dare virō istī sanctō, quī sē tibi comitem dedit? Tum fīlius: Pater quam mercēdem dabimus eī? aut quid pār esse poterit eius in mē beneficiīs? Dūxit mē sānum et redūxit; pecūniam ā Gabēlō ipse recēpit: uxōrem ut habērem fēcit: et Daemonium ab eā compescuit: gaudium parentibus eius tulit: mēipsum ā piscis dēvorātiōne ēripuit: ut tū coelī lūmine fruī rūrsus possēs prōvīdit: dēnique omnibus bonīs per eum replētī sumus. Quid ergō illī poterimus rependere dignum hīs? Sed petō ā tē, pater mī, rogēs eum, ut dignētur dīmidiam eōrum partem quae ā nōbīs allāta sunt, sibi assūmere.

compescō = retineō

dēvorātiō < dēvorāre

rependō "Enimvērō quod tandem mūnus invenīrī possit, quō oculus āmissus rependātur?" (Heuzet, Selectae e profanis 3.26)
dignor cf. dignus

Igitur uterque accersītum, et seorsum abductum Angelum rogāre coepit, ut acceptum habēre nōn dēdignārētur dīmidium eōrum quae ē Mēdiā retulerant. At ille dīxit eīs occultē: Benedīcite Deō caelī, et cōram omnibus vīventibus collaudāte eum: quia suam in vōs misericordiam ostendit. Arcāna quidem rēgum silentiō tegere bonum est: sed opera Deī revēlāre, et palam cōnfitērī ac praedīcere per honōrificum.

occultē "Et relīquit Apollōnius in castrīs mille equitēs post eōs occultē." (I Machabaeorum 10, 76–81)

Bona est ōrātiō cum ieiūniō, et eleemosynam ērogāre satius est, quam thēsaurōs aurī recondere, quoniam eleemosyna ā morte liberat, et ipsa est quae purgat peccāta, conciliat nōbīs Deī misericordiam, et vītam aeternam parit. Quī autem peccant, hostēs sunt animae suae. Manifestābō ergō vōbīs vēritātem; neque vōs quae occulta sunt cēlābō.

conciliō "Virtūs, virtūs, inquam, conciliat amīcitiās et cōnservat." (Heuzet, Selectae e profanis 3.55)

occulō = abscondō

Quandō ōrābās cum lacrymīs, et sepeliēbās mortuōs, et dērelictō prandiō tuō occīsōs abscondēbās per diem in aedibus tuīs; et nocte sepeliēbās eōs, ego obtulī precēs tuās Dominō. Et quia acceptus erās Deō, necesse fuit ut tentātiō probāret tē. Et nunc mīsit mē Dominus ut caecitātī tuae medērer, et Sāram uxōrem fīliī tuī ā Daemoniō liberārem. Ego enim sum Raphaēl Angelus ūnus ex septem quī adstāmus ante Dominum.

medeor = sānō

68

CAELUM REPETIT ANGELUS RAPHAEL

¶ Cum haec uterque Tobiās audīssent turbātī sunt et trementēs in terram prōnī cecidērunt. Dīxitque eīs Angelus: Pāx vōbīs: nōlīte timēre. Etenim cum vōbīscum versārer, Deī voluntāte versābar. Quāpropter grātiās eī agite, et nōmen eius laudibus extollite. Vidēbar quidem hominum mōre mandūcāre et bibere: sed ego cibō et pōtū, quī hūmānīs oculīs cernī nōn possunt, ūtor. Tempus autem est nunc, ut ad eum revertar ā quō missus sum. Vōs benedīcite Deō, et nārrāte omnia mīrābilia eius. Cum haec dīxisset, ab aspectū eōrum ablātus est, nec ultrā compāruit. Tunc prōstrātī per hōrās trēs in faciem, dēbitās Deō grātiās, et laudēs rependērunt; et deinde ē terrā exurgentēs opera Deī māgna et admīranda celebrāvērunt.

tremō "Cumque dixisset mihi sermōnem istum, stetī tremēns." (Daniel 10, 8–11)

extollō < ex + tollere

69

TOBIAS PATER DEO GRATIAS AGIT ET FUTURA PRAEDICIT

¶ Aperiēns autem Tobiās senior ōs suum benedīxit Dominō, dīxitque. Māgnus es Domine in aeternum, et in omnia saecula rēgnum tuum; quoniam tū flagellās, et salvās, dēdūcis

flagellō "Tunc ergō apprehendit Pilātus Iēsum, et flagellāvit." (Ioannes 19, 1–6)

ad īnferōs, et redūcis, et nōn est quī effugiat manum tuam. Laudāte Dominum in cōnspectū gentium, fīliī Israēlis; quoniam ideō dispersit nōs inter gentēs quae īgnōrant eum, ut ēnarrētis mīrābilia eius, eāsque doceātis nūllum esse alium Deum omnipotentem praeter eum. Ipse castīgāvit nōs propter inīquitātēs nostrās, et ipse salvōs faciet nōs propter misericordiam suam. Convertiminī itaque, quī peccātis, et opera iūsta facite cōram Deō, spērantēs fore ut vōbīs veniam concēdat. Addidit et aliās Tobiās prophēticō spīritū afflātus dē fine captīvitātis Israēlītārum, dē futūrā glōriā urbis Hierosolymae, atque etiam dē Christiānae Ecclesiae splendōre.

ēnarrō < ex + nārrāre

70

MORS UTRIUSQUE TOBIAE

¶ Cēterum quīnquāgintā et sex annōs attigerat Tobiās cum lūmen oculōrum āmīsit, sexāgēnārius vērō recēpit. Et postquam ā caecitāte līberātus est, vīxit annīs quadrāgintā duōbus, per quōs in gaudiō fuit, multum prōficiēns in timōre Dominī, et vīdit fīliōs nepōtum suōrum. Sub hōram autem mortis suae vocātō ad sē Tobiā fīliō, et septem iuvenibus fīliīs eius nepōtibus suīs cum quaedam vāticinātus esset dē īnstaurātiōne urbis Hierosolymae, dīxit: Audīte fīliī meī, patrem vestrum. Servīte Dominō in vēritāte, et inquīrite ut faciātis quae placita sunt illī. Fīliīs quoque vestrīs mandāte ut faciant opera iūsta et eleemosynās; sint memorēs Deī, et benedīcant eī omnī tempore ex tōtō corde, et ex tōtīs vīribus suīs.

attingō < ad + tangere

sexāgēnārius "Sexāgēnārius erat Isaac quandō nātī sunt eī parvulī." (Genesis 25, 25–34)

vāticinor "Idcircō vāticināre dē eīs, vāticināre, fīlī hominis." (Ezechiel 11, 1–5)

Nōlīte, fīliī, manēre hīc, sed quācumque diē sepelieritis mātrem vestram iuxtā mē in ūnō sepulchrō statim dīrigite gressūs vestrōs, ut exeātis hinc. Prope est enim interitus Ninivēs, et inīquitās huius urbis fīnem dabit eī. Hīs dictīs, mortuus est in pāce, cum complēsset annōs centum et duōs; et ā suīs honōrificē sepultus est in urbe Ninivē. Post obitum patris et mātris, abscessit Tobiās ex urbe Ninivē cum uxōre suā, et fīliīs, et fīliōrum fīliīs, et reversus est ad socerōs suōs: invēnit eōs in aetāte admodum prōvectā incolumēs.

gressus "Neque vērō gressus sequēbantur animum." (Sanctorum vitae 16)

interitus "Tū vērō, Deus, dēdūcēs eōs in puteum interitūs." (Psalmus 54, 19–24)

abscēdō < ab + cēdere

admodum = valdē

Cūram eōrum gessit, et ipse clausit oculōs eōrum et omnem haerēditātem domūs Raguēlis sōlus percēpit.

Vīdit fīliōs fīliōrum suōrum in quīntam usque generātiōnem, atque ab iīs post complētōs annōs nōnāgintā novem, in timōre Dominī cum gaudiō sepultus est. Omnis autem cōgnātiō et prōgeniēs ipsīus in bonā viā sanctīsque mōribus, et studiīs sīc permānsit, ut acceptī essent tam Deō quam hominibus.

INDEX NOMINUM

A
Aarōn 37
Abēl 3
Abraham 59
Abrahamus 6
Achior 66
Adāmus 1
Aegyptii 16
Aegyptus 6
Amos 53
Ananīa 57
Anna 48
Assyria 52
Assyriōrum 52
Azaria 63
Azariās 57
B
Bathuel 11
Beniamini 25
Beniaminus 21
Bersabea 10
Bersabēe 49
Bethlehēmum 43
C
Caīnus 3
Chamus 4
Chanaān 6
Chananaeī 11
Chananaeōs 41
Charan 66
D
Daniēl 49
E
Ecbatana 59
Elcana 48
Eliezer 11
Ephraim 19
Esaū 12
Ēva 2
G
Gabelius 66
Gabēlō 56
Gabēlus 52
Gedeōn 44
Gesse 27
Gessen 29
Gomorrham 7
H
Haran 6
Hebraeam 35
Hebraeī 19
Hebraeōrum 18
Hebrōn 8
Heli 48
Hēliopolis 19
Hierosolyma 51
I
Iācōb 12
Iācōbus 12
Ieroboamus 51
Iochabed 35
Iordan 41
Iordānem 41
Iordānēs 41
Iōsēphus 14
Iosue 41
Isaacus 10
Ismaēlītīs 15
Israēl 14
Isrāēlita 35
Iūda 32
Iūdaea 53
Iūdās 15
L
Lābānus 11
Leuī 35
Lēvīta 43
Lothus 6
M
Madian 36
Madianīta 45
Madianītae 44
Madianītārum 44
Madianītās 44
Mānāssēs 19
Maria 39
Melcha 11
Mesopotamia 6
Messīās 32
Mōsēs 35
Mōÿsēs 39
N
Nephthalis 60
Nephthalus 52
Nīlus 19
Nineve 66
Ninive 60
Noacus 4
O
Ophnis 50
Osee 52
P
Pascha 36
Pharao 18
Pharaōn 18
Pharaōnī 29
Phenennas 48
Philistaeus 50
Philisthaeus 50
Phinees 50
Putīphar 16
Putipharus 19
R
Rachel 13
Rachēlis 22
Rages 56
Raguel 59
Raguēlis 60
Rahab 42
Raphaēl 57
Rebecca 11
Rebeccae 11
Ruben 15
S
Samarīa 52
Samuēl 48
Sāra 6
Sēmus 4
Sennacheribus 53
Sichem 15
Simeōn 22
Sinae 40
Sodoma 7
T
Tigris 59
Tobia 57
Tobiae 54

Tobiam 60
Tobiās 51

INDEX VOCABULORUM

A
abdō 53
abdormisset 54
abdūcō 4
abluō 59
abōminō 40
abscēdō 70
abstineō 51
abundanter 56
abundantia 19
abundē 48
accersiō 62
accersō 19
accingō 36
accubō 11
accumbō 53
accūsō 14
adaquō 13
adiiciō 11
adiūtōrium 1
admittō 64
admodum 70
admoveō 46
adoptō 35
aegrōtō 32
Aegyptiacus 19
aegyptiīs 39
aemulātor 40
aemulus 48
aēneus 42
aēnus 42
aequālis 40
aerārium 42
aerumna 2
aestās 4
affīnis 54
afflātus 69
affor 9
āgnitiō 27
agrestis 36
agricola 3
albūgō 66
alimentum 20
aliōquī 21
aliquamdiū 30
aliquantulum 18
aliquot 45
aliter 21
alligō 10
alloquor 4
alō 29
alveus 35
amārus 35
amnis 7
amoenus 2
āmoveō 13
amplexor 27
amplexus 29
amygdalum 23
angō 48
angor 22
animāns 1
animō 2
anniculus 36
annōna 21
annuō 48
anteā 60
antecēdō 41
anterior 39
antrum 44
ānulus 19
apertus 22
apparō 62
aquila 40
arbiter 17
arcāna 67
arcessō 25
ārea 45
arēna 10
āreō 41
argūmentum 17
armilla 11
armō 42
arō 27
arōma 15
arripiō 10
arundō 35
ascēnsor 39
aspergō 36
aspernor 63
asportō 41
assentior 17
assequor 25
assistō 26
assō 36
assurgō 4
astō 27
attenuō 44
attingō 70
attrahō 59
aufugiō 17
augeō 16
augurō 25
auscultō 63
avunculus 13
azimum 36
azȳmus 36
B
baculum 36
bālō 54
benefaciō 35
benīgnitās 52
biennium 19
bīnus 4
bitūmen 4
blandē 34
blandīmentum 66
blasphēmō 40
bonitās 11
branchia 59
buccella 9
buccina 40
buccinus 47
būtyrum 9
byssinus 19
C
caecitās 54
caedēs 15
caementum 5
caeremōnia 36
calamitās 22
calcāneum 2
calceāmentum 36
calcō 41
calidus 54
cāligō 32
callidus 2
calumnia 24

calumnior 40
camēlī 47
canālis 11
canistrum 18
cānitiēs 26
cantus 62
cānus 22
carpō 19
castīgō 66
castramentor 40
cataracta 4
cauda 66
caulae 13
celeriter 11
cēlō 35
cēnseō 25
cēterum 57
charta 60
chīrographum 52
chorus 39
cibārium 22
cibārius 22
cieō 19
cilicium 15
cingulum 2
circiter 52
circueō 20
circum 45
circumdūcō 38
circumeō 42
circumplectō 32
circumpōnō 19
circumspiciō 64
circumstō 14
cisterna 15
clādēs 50
clangō 40
clangor 40
clārē 32
claudeō 13
clēmenter 24
coaequō 20
coetus 36
cōgnātus 54
cohibeō 27
collaudō 66
collīdō 47
colloquor 22
color 14
columba 4
cōmessātiō 40
comitātus 33
comitō 33
comitor 57
commeō 52
commisceō 9
commodō 37
commūtō 32
compāreō 15
comperiō 21
compescō 67
complector 13
comportō 4
computō 65
concha 45
concidō 3
conciliō 67
conclāmō 42
conclūdō 4
concupīscō 40
concutiō 40
condiō 33
condō 19
cōnfestim 15
cōnfidenter 26
cōnfodiō 40
congerō 20
congrātulor 66
coniciō 18
coniector 19
coniugium 59
coniungō 60
coniunx 28
coniux 3
cōnor 32
conqueror 54
cōnsanguineus 12
cōnscendō 19
cōnscriptiō 60
cōnsenēscō 61
cōnsentiō 17
cōnsīdō 15
cōnsimilis 19
cōnsōbrīna 13
cōnsōbrīnus 60
cōnspargō 37
contāminō 52
contemplor 11
contumax 40
convehō 19
corrōborō 9
corvus 4
costa 1
crassus 19
crēdulus 17
crepīdō 35
crīmen 14
cruciō 65
crūdus 36
cubitīs 4
cubitum 4
culmen 5
culmus 19
cuncta 4
cunctor 21
curvō 46

D

deambulō 11
dēbellō 47
dēcerpō 2
dēclīvis 43
decōrus 11
dēcurrō 41
dēdignor 67
dēdō 19
dēfluō 41
dēfōrmis 19
dēgustō 11
deinceps 4
dēlectābilis 2
dēmittō 15
dēmum 19
dēnique 35
dēnsus 40
deorsum 40
deōsculor 32
dēportō 33
dēprimō 19
dēses 21
dēsinō 42
dēsistō 5
dētestor 29
dētineō 64
dēvastō 44

dēveniō 62
dēvolō 18
dēvolvō 13
dēvorātiō 67
diciō 14
dignor 67
dīlātō 12
dīlūculum 39
diluvium 4
dīreptiō 55
discumbō 60
dispēnsātor 24
dissolvō 18
dīversōrium 22
dīvertō 9
dīvīnō 26
dīvitia 58
domina 17
dominium 62
dubius 60
duplex 14
dūra 22
dūrē 21
E
ēdicō 36
effluō 18
egēnus 56
egeō 52
egoipse 63
egometipse 10
eiusmodi 52
eleemosyna 54
ēlegāns 35
ēlūcēscō 62
ēmereō 24
ēmergō 19
ēnarrō 69
ephod 49
epulor 43
epulum 62
equitātus 39
ergā 11
ērogō 51
ērubēscō 2
ērumpō 4
erus 16
ēvānēscō 44
ēvellō 40
ēventus 18
ēvigilō 12
exactor 40
exanimis 53
excaecō 40
excēdō 20
excellō 39
exclūdō 59
excutiō 44
exequia 33
exhibeō 51
exigō 41
exiguus 56
exiliō 63
exitus 16
exōrō 65
exōsus 53
expavēscō 59
expectō 4
expediō 55
expellō 22
experīmentum 21
experior 22
expers 49
expiō 49
explānō 19
expleō 33
explicō 19
explōrātor 21
explōrātōrēs 21
explōrō 21
exprimō 18
exprobrō 48
exquīrō 22
exsiccō 4
exsiliō 60
exspectātiō 32
exstō 22
exterreō 22
extollō 68
extrahō 15
extrīnsecus 4
exurgeō 68
F
facinus 40
faemen 1
faenerō 40
faenum 11
faenus 49
fallō 54
familiāriter 43
famula 35
famulor 35
famulus 17
farīna 37
fasciculus 36
fatīgō 54
faustus 30
fel 59
fēmineus 40
fēminīnus 4
fera 15
fermē 66
fermentō 36
fermentum 9
fertilitās 19
ferus 15
fervor 9
festīnanter 25
festīnus 11
ficus 2
filum 14
firmō 42
fiscella 35
flagellō 69
flāgitium 17
flammeum 2
flectō 46
flētus 15
flō 39
flōs 18
fluctus 39
fodiō 62
folium 2
forinsecum 4
fōrmō 1
fōrmōsus 19
fornax 40
forsitan 39
fortasse 62
fossa 62
fovea 18
frāternus 15
fraudō 32
frequēns 44
fruor 58

frux 20
fulgur 40
fūmō 40
fūmus 40
funditus 42
furtim 18
furtīvus 54
fūrtum 40
G
geminus 19
gemma 18
gener 43
generī 35
generō 43
genuflectō 19
germinō 2
glōriōsē 39
gradior 2
grassor 20
gremium 32
gressus 70
gubernō 16
gustus 2
H
habitūdō 19
haedus 15
haereō 10
harēna 20
hebdomada 62
Hebraeus 17
heu 44
Hēva 61
hiems 4
hirundō 54
honōrificē 70
honōrificus 67
horebus 36
horreum 19
hortor 60
hospes 11
hospitium 11
hospitō 30
hostīlis 47
hūcusque 26
huiuscemodī 49
hydria 11
hyssōpus 36
I
iaculus 40
iecur 59
ieiūnus 53
illicō 42
illinc 21
illūcēscō 19
illūdō 17
immānis 59
immemor 35
imminuō 4
immittō 1
immōbilis 54
immūniō 21
immūtō 39
impertiō 52
inauris 11
incessō 41
inclūdō 4
incolumis 62
increpō 14
incrēscō 43
incubō 54
incursiō 44
incurvō 24
incurvus 4
indicium 19
indignē 49
indūrō 36
industria 40
industrius 19
īnfantia 29
īnfantulus 35
īnfrā 41
ingemō 55
ingruō 35
iniciō 17
inimīcitia 2
iniūstē 40
innītor 12
innōtēscō 62
innoxius 15
innumerābilis 37
inopia 19
inquīrō 56
īnscrībō 40
īnsector 48
īnsequor 39
īnserō 19
īnsidiō 2
īnsīgnis 47
īnsistō 47
īnsōns 40
īnstanter 61
īnstar 41
īnstaurātiō 70
īnstō 56
īnsultō 54
īnsurgō 3
intellectus 59
interdicō 2
interdiū 53
interim 23
interitus 70
interpres 18
interpretātiō 18
interpretor 18
intersum 27
intestīnus 36
intrīnsecus 4
intumēscō 41
invādō 59
invideō 14
invidia 14
invīsō 53
involvō 39
īrātus 3
irremediābilis 64
irreprehēnsus 65
irrīdeō 54
irrigō 7
irritus 49
item 43
iubilaeus 42
iūgiter 48
iugulō 53
iūra 11
iūrāmentum 11
iurgium 7
iūsiūrandum 11
iussus 17
iūstē 26
iuvō 40

L
lacerō 18
lacessō 53
lacrimō 60
lactō 48
lactūca 36
laedō 36
laetor 43
laetus 29
laeva 39
lagoena 47
lambō 46
lāmentātiō 53
lampadēs 47
lampas 40
lāna 45
later 5
lectulus 49
lēniō 15
lēniter 34
lentus 66
lēvigō 4
Lēvīticus 41
libet 52
libīdō 17
licentia 22
limus 1
lineus 49
liniō 4
linum 66
liqueō 37
loculus 34
lōcusta 44
longaevus 40
longinquus 66
luctus 33
lūdibrium 55
lūna 14
lutum 35
luxuria 40
M
māchinor 21
maciēs 19
macilentus 19
mactō 29
macula 36
madidus 45
maiōrēs 31
manifestē 54
manifestus 49
manipulus 14
mānsiō 4
marītō 54
mās 4
masculinus 4
masculus 1
mātrimōnium 59
mātūrēscō 18
mātūtīnus 39
māximē 30
medeor 67
medicāmentum 59
medicus 33
meditor 11
medulla 28
mēdus 56
melior 15
membrāna 66
memorō 56
mentiō 18
mentior 40
mercēnārius 56
meritō 39
meritum 22
messis 4
meticulōsus 46
metō 27
mī 24
micō 40
minimē 9
minimus 23
minor 12
mīrē 16
misceō 15
misereō 35
miseria 23
misericors 11
modius 40
moechor 40
moeror 26
mōlēs 41
molestus 17
mōlior 22
mōnstrō 6
mora 37
mūlus 59
mūnītus 44
mūtuō 22
mūtuus 15
N
nātālitius 18
necō 47
nefārius 17
negōtiātor 15
nempe 18
nepōs 29
nequando 56
nescius 24
nīdus 54
nihilōminus 43
nimium 17
nītor 15
Nōnae 11
nōnāgintā 50
nonerus 15
nōngentī 4
nōnnisi 3
novācula 48
novem 36
nūbō 60
nūdō 15
nummus 28
nūper 63
nuptiae 63
nurus 4
nūtriō 35
nūtrīx 11
nūtus 21
O
obdormiō 1
obeō 32
obēsus 19
obitus 62
obiurgātiō 53
oblīviō 19
obnītor 43
oborior 63
obruō 40
obscūrus 39
obstetrīx 35
obstupefaciō 22
obtemperō 43
obtendō 26
obtestātiō 63

obtestor 62
occāsiō 14
occāsus 12
occidēns 12
occubō 43
occulō 67
occultē 67
occultō 15
occultus 53
ōdiō 40
offendiculum 40
offendō 66
olīva 4
olla 44
olus 4
onerō 25
onustus 43
oppetō 62
ōra 17
orbō 23
Orientālēs 44
ortus 36
ōsculor 13
ōsculum 13
P
pābulum 22
palam 12
palea 11
palpitō 59
palūs 19
paluster 19
pār 63
paradīsus 2
partus 50
parumper 22
pāstus 13
patibulum 18
paulātim 18
paululum 25
paululus 57
paupertās 58
pauxillus 9
paveō 12
pavor 19
pecūlium 40
pedes 37
pelliciō 17
pendeō 26
penes 56
perambulō 8
percussor 36
peregrīnātiō 30
peregrīnor 6
perferō 36
perhūmāniter 52
perimō 47
perlustrō 20
pernoctō 43
perquīrō 56
persevērō 15
persōna 40
personō 42
perstrepō 40
persuādeō 12
perterreō 19
pertimēscō 40
pertingō 5
petītiō 48
pincerna 18
pinguis 3
pistor 18
pistōrius 18
pix 35
plācābilis 23
planctus 33
plaustrum 28
plēnē 62
plōrō 27
plūrimus 40
pluvia 4
pōculum 18
poeniteō 4
poenitet 4
poples 46
porrigō 2
posteritās 61
posthāc 41
postis 36
pōtō 13
pōtus 11
praecingō 57
praecinō 39
praecipuus 14
praecō 19
praecurrō 66
praefectus 17
praeferō 2
praeficiō 19
praegnas 50
praemittō 27
praemium 56
praepositus 18
praesāgus 19
praestōlor 44
praetereā 19
praetermittō 56
praeterquam 2
praevaleō 6
prandium 53
precor 11
premō 23
prīmitiae 51
pristinus 18
priusquam 65
probitās 49
procidō 11
prōcumbō 9
prōdō 15
prōdūcō 1
profectus 37
profugus 3
profundum 39
prōgeniēs 23
prōlixē 40
prōmiscuus 37
prōmissum 48
prōnūntiō 50
prōnus 4
prōpāgō 18
prophēticus 69
prophētissa 39
propinquō 43
propinquus 40
propriē 26
prosper 11
prosperē 12
prosperus 18
prōspiciō 66
protervus 40
prōtinus 19
prout 53
prōvehō 70
prōvideō 10
prōvidus 63

prūdenter 18
puerīlis 51
puerulus 51
pulchritūdō 19
pullulō 19
pullus 40
pulmentum 37
pūniō 3
purgō 44
Q
quamdiū 40
quamobrem 1
quamprīmum 9
quamvīs 43
quantocyus 28
quāpropter 68
quercus 44
querēla 17
quiēs 19
quīlibet 35
quīndecim 4
quintuplus 24
quōcumque 12
quondam 41
quot 30
quotīdiē 42
R
rāmus 4
rārus 49
recidō 22
reconciliō 43
recondō 56
recurrō 11
redigō 20
reditus 63
redux 40
rēfert 14
reficiō 13
rēgia 19
religiō 36
religiōsus 51
reminīscor 19
rēn 36
renuō 32
rependō 67
repōnō 22
reportō 23
reptile 4
reptilis 4
repūgnō 44
resalūtō 24
reservō 35
residuus 27
rēsīna 23
respōnsum 26
restō 27
retrō 19
retrorsus 50
retrūdō 19
reus 23
revertō 29
revīvō 28
rīpa 19
rixa 7
rōborō 35
rōs 45
ruber 38
rubus 36
ruō 13
rūs 16
S
sacculus 22
sacerdōtēs 41
saepiō 49
saliō 59
salmanasarum 52
saltem 11
salūtāris 52
salvātōrēs 19
sānitās 61
sapienter 19
sarcinula 43
saturitās 19
saxum 5
scāla 12
scapula 11
sceptrum 32
scirpea 35
sciscitor 11
scrīptus 62
scrūtor 25
sculptilis 40
scyphus 25
secus 66
seges 20
sella 48
sēmentis 1
senectūs 14
senex 40
senior 11
sēnsim 4
seorsum 46
sēpōnō 42
septentriō 12
septentriōnālis 46
septiēs 42
septuplum 3
sepultūra 53
serō 44
serpēns 2
servā 48
servitium 63
sētim 41
seu 9
sexāgēnārius 70
sexdecim 14
sexus 4
siccitās 45
siccō 41
siccus 39
sīcutī 48
sileō 42
simila 9
sincērē 55
sinistra 7
sīquis 36
socer 36
societās 51
sōlācium 64
solitum 18
solitus 54
sollemnis 36
sollicitus 53
somniō 15
sonitus 40
sopor 1
sospes 24
spatiōsus 11
spatium 41
speculor 66
spernō 53
spīca 19
spīna 2
splendidus 57

splendor 69
spoliō 37
spondeō 26
spōnsa 60
squālor 19
stacta 23
stercus 54
sterilitās 19
sternō 10
stipula 19
stirps 41
stola 19
stomachus 43
storax 23
strāgulus 11
struēs 10
studeō 56
subeō 50
sublevō 40
sublīmis 4
subter 4
subvectiō 28
subvehō 28
succēdō 4
sūdor 2
summa 56
supellex 42
supercilium 66
superficiēs 4
superlimināre 36
supernus 41
superstes 29
suppellectilis 28
suppōnō 12
surdus 40
sustentō 40
susurrō 40
T
tabulātum 4
tacitus 11
tactus 4
tālāris 15
tardō 40
tēla 54
temperō 11
tenebrōsus 39
tener 9
tentātiō 54
tenuis 19
terebinthus 23
terrestris 2
terribilis 12
testāceus 47
texō 14
timidus 46
tingō 15
tinniō 49
titulus 12
tondeō 19
tonitruum 40
torpeō 19
torquis 19
totidem 19
trānscendō 36
trānsigō 20
trānsitus 36
trānsmittō 58
tremebundus 40
tremō 68
tremor 53
tribubus 41
tribulus 2
trīticum 20
tumultus 50
tumulus 22
tūtō 53
tympanum 39
U
ūber 66
ūbertās 19
uirētum 19
ulna 11
ultiō 40
ululō 47
umerus 41
unda 4
undecim 14
undecimus 4
ūnicus 59
ūnigenitus 10
uosmetipsī 25
ūrēdō 19
urgeō 40
ūrō 19
ūsūra 40
uterīnus 24
utinam 58
utrum 11
ūva 18
V
vacca 62
vacō 40
vāgiō 35
vagus 3
vāticinor 70
vehemēns 4
vellō 45
vellus 45
vēlōciter 37
velutī 56
venia 3
vēnundō 15
veprēs 10
vērax 22
versō 2
versor 68
vespera 4
vetō 2
vexō 48
viāticum 37
viātor 15
vīcēsimus 36
vīcīna 36
vīcīnia 42
vīcīnus 36
victus 21
vidēlicet 66
vigilia 39
vindicta 55
vireō 4
virīlis 40
viscera 24
vīsus 66
vītis 18
vōciferātiō 42
vōciferor 42
volātilis 1
volucer 1
volucris 4
volvō 19
vorō 36
voveō 12
vulgō 28
vulgus 37